

*Caelesti discretioni.]* Discretio caelestis & ordo cui parent homines & Dii, aliud nihil est, quam leges necessariae & aeternae impositae naturae universae a summo & aeterno Deo.

*Mundus.]* Quod a specie & pulchritudine mundus dicitur.

*Deorum atque hominum.]* Non enim caetera animantia sociata cum Diis civitate intelligi possunt, quoniam neque iure sociantur, neque lege, neque ratione.

*Idoneo loco.]* Vbi nempe ad ius civile pervenerimus.

*Disiunguntur.]* M. TULLIUS in oratione pro Plancio, Simul, inquit, ut qui sunt professi, video quid dicam, hic familia consulari est, ille praetoria, reliquos video esse ex equestri loco. Sunt omnes sine macula, sunt aequè viri boni atque integri, sed servari necesse est gradum. Cedat consulari generi praetorium, nec contendat cum praetorio equester locus.

*Agnatione.]* Agnatio est coniunctio per sexum masculinum. Homines vero proprie non sunt Deorum gentiles, sed quasi gentiles. Nec enim Dii appellantur, sed animalia generis divini. M. CICERO in libro de Universitate: In quibus, inquit, qui tales creantur, ut Deorum immortalium quasi gentiles esse debeant, divini generis appellantur.

## IN CAPVT OCTAVVM.

*De natura.]* Quod quaerit PLATO in Timaeo.

*Ista.]* Quae ita sunt uti disputantur.

*In terras.]* Caeli fatu, & terrae conceptu. Verba haec addita sunt a M. TULLIO, quoniam omnis ea ratio, quae est de hominum generatione & fatu, ratione nulla probatur.

*Perpetuis cursibus.]* Caelestes conversiones, perpetui cursus dicuntur, quoniam continui sunt, neque quiete interposita distinguntur; motus enim sphaerarum, id est globorum, neque principium habet, neque finem: quemadmodum nec ipsa corporum figura.

*A Deo.]* Praepotens Deus ad Deos qui caeli fatu & terrae conceptu editi fuerant, ita fatus dicitur: Vos autem ad id quod erit immortale, partem annexitote mortalem; itaque nascuntur animantes, quos & vivos alatis, & mortuos sinu recipiatis, qui lege & iure nobis pareant volentes, quorum vobis initium & status traditur a me.

*Gens.]* Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt, ab ingenuis oriundi, quorum maiorum nemo servitutem servivit, qui capite non sunt diminuti; qui autem eiusdem gentis sunt, non semper eiusdem stirpis sunt. Adoptati eiusdem gentis sunt, nec tamen eiusdem stirpis sunt. Nec qui eiusdem stirpis sunt, eiusdem gentis sunt. Coniuncti enim nobis cum

sexu foeminino eiusdem stirpis sunt, non tamen eiusdem gentis.

*Notitiam aliquam.]* Notitia Dei duplex est. Nam & scimus esse deos, & quales sunt.

*Quasi recordetur.]* Alludit M. TULLIUS ad opinionem PLATONIS, qui nostram scientiam aliud nihil putabat esse, quam recordationem.

*Virtus.]* Sed in Deo natura virtus inest, in hominibus industria.

*In se perfecta.]* In se perfecta natura dicitur, quoniam se ipsam perficit, longius progressa, nemine docente.

*Natura.]* Cuius moderator Deus est.

*Consulto nobis.]* Consulto nobis donata sunt, ac si ipsi Dii de alendis hominibus solliciti sint, quot procreaverint.

*Sed etiam pecudes.]* Per pecudes, omnia animalia quatuor pedes habentia intelligimus, five illa sint fera, five mansueta: quanquam Iurisperiti dicant, pecudum nomine contineri omnia animalia, quae gregatim pascuntur solum.

*Quod perspicuum.]* Quod, posuit pro quas. M. TULLIUS epistola 1. ad Atticum lib. 1. Perditionis (inquit) nostrae, quam tibi summae curae esse scio, eiusmodi ratio est, quod adhuc coniectura provideri possit.

*Partim ad usum.]* Ea animalia ad usum nata sunt, quibus aut vehimur, aut onera aut iugum imponimus.

*Ad fructum.]* Hic fructus sunt, lana, agni, hoedi, caseus, lac. Fructus denique est, quicquid ex rebus percipere possimus ipsis salvis.

## IN CAPVT NONVM.

*Artes vero.]* Non solum necessariae inventae sunt docente natura, verum etiam illae quae ad solam voluptatem referuntur, quales sunt musicae; vide lib. 2. de natura deorum. Quam vero aptas & artium variarum ministras manus natura homini dedit? digitorum enim contractio facilis, facilisque porrectio propter molles commissuras & artus nullo in motu laborat; itaque ad pingendum, fingendum, scalpendum, ad nervorum illiciendos sonos, ad tiliarum apta manus est admonitione digitorum.

*Celeritate.]* Ex qua mentis divinitas intelligitur.

*Enodavit.]* Enodationis enim indigent.

*Erexit.]* Ita fit, ut solus homo dicatur ingredi.

*Cognitionis.]* Haec dicuntur ex eorum opinione, qui putant animos semper fuisse.

*Nimis argute.]* Oculi, arguti dicuntur, quemadmodum digiti dicuntur arguti a M. TULLIO in orat. ad M. Brut. sunt autem digiti arguti, qui quodammodo loquuntur. Oculi indices sunt hilaritatis & tristitiae. M. CICERO Tum oculorum est magna moderatio. Nam ut imago animi est vultus, sic indices oculi, quorum



*bilaritatis & vicissim tristitiae modum res ipsae de quibus agetur temperabunt.*

*Indicat mores.]* Mores sunt vitia & virtutes; vultus autem animi index est; animus in solo homine est; quare vultus in alio animante esse quam in homine non potest. *Vultus* praeterea a *volendo* dicitur: *voluntas* autem rationis appetitio est: quare in his tantum vultus est, in quibus ratio est.

*Graeci.]* Graeci enim vocant *πρόσωπον*.

*Moderationem.]* Moderatio vocis in tribus sonis posita est, in acuto, gravi, & circumflexo. M. TVLLIUS in *orat. ad M. Brutum*: *Mira est enim quaedam natura vocis, cuius quidem e tribus omnino sonis, inflexu, acuto, gravi tanta sit & tam suavis varietas perfecta in cantibus.* Et rursus verbis aliquot interpositis: *Ipsa enim natura quasi orationem hominis modularetur, in omni verbo posuit acutam vocem: nec una plus, neque a postrema syllaba citra tertiam.*

*Orationis vim.]* Oratio hic non tantum sumitur pro *oratione oratoris*, sed pro *omni sermone*. Quemadmodum solis hominibus mens data est, quia mentis interpretes sunt.

*Ne omnia.]* Ea principia, quae etsi probari possunt, concedi tamen nobis postulamus, *petitiones* dicuntur.

*Longius progredi.]* Vt perficiat, quod institutum erat & inchoatum.

#### IN CAPVT DECIMVM.

*Intelligentia.]* *Intelligentia* rerum universalium est cognitio, quae cum prima est, rudis est & inchoata: posterior, perfecta & exacta est, quae nascitur ex definitione.

*Et perficit.]* In cuius perfectione, naturae perfectio est.

*Quam longe.]* Vulgo enim homines sumunt initium iuris a lege vel edicto Praetoris.

*Quae expectabam.]* Hinc colligimus, cur hi libri *De legibus* inscribantur; de iure enim civili propositum CICERONI fuit illos scribere.

*Quae nunc breviter.]* Aliud enim propositum est huic nostrae disputationi.

*Opinione.]* Si ius in hominum opinione positum esset, quoniam hominum opinio mutatur, ius quoque ipsum mutaretur: at quod vere ius est, semper ius est: quare in natura, quae nunquam mutatur, ius ponendum est.

*Coniunctionemque.]* Quae societas & coniunctio sine iustitia esse non potest.

*Vna.]* Nam quae differunt definitione, specie differunt: cum quae definitionem constituunt, speciem quoque constituent.

*In omnes.]* Vt intelligere possumus, omnes homines rem unam esse. Nam quae una definitione continentur, eadem sunt. Omnes autem homines sub eadem definitione continentur. Sed si qua differentia est in hominibus, in numero

est non in specie.

*Ratio.]* Quae etiam ignoratur.

*Coniectura.]* *Coniectura* est quam signa faciunt. *Conficimus aliquid.]* Id fit rationum conclusionibus, sententia, exemplo, inductione, ratiocinatione.

*Et sensibus.]* Quae sensibus comprehenduntur, quaedam uno sensu, quaedam pluribus. *Motus*, *magnitudo*, *numerus*, pluribus sensibus comprehenduntur: colores, uno sensu.

*Ea quae movent.]* *Sensus* movent qualitates, & ea quae movent excitant sensus; scientia autem e sensibus ortum habet: quare quibus eadem sentiendi facultas data est, eis & eadem discendi facultas data est.

*Inchoatae intelligentiae.]* Perfectae autem intelligentiae & absolutae non sunt in animis hominum.

*Sententiis congruens.]* Homines idem loquuntur, etsi non iisdem verbis. Nam si res eadem sunt, quae sensibus percipiuntur eadem sunt: si autem quae sensibus percipiuntur eadem sunt, & quae intelliguntur eadem sunt: id autem loquimur quod intelligimus: quare orationis sententia eadem est, verbis discrepat.

#### IN CAPVT VNDECIMVM.

*Naturalis boni.]* Bona ea *naturalia* esse videntur, quibus natura incorrupta gaudet: quae quoniam voluptate gaudet, voluptas simile videtur aliquid habere boni naturalis: &, si credimus EPICURO, est *bonum ipsum naturale*.

*Errore.]* Id est a iudicio depravato.

*Dissolutio.]* Mors enim dissolvit, quod natura constituit.

*Interitus.]* Scriptum fuisse puto, *esse quidam*, non *sequi*, ut dolor quidam naturae interitus esse dicatur: quoniam nunquam natura dolet, nec tum cum detrimentum passa est.

*Gloriae.]* *Gloriam* hic dicimus non veram, quoniam vera gloria imago virtutis est: sed *fucata* & *falsa*, quae non ex virtute, sed ex virtutis opinione nascitur.

*Cupiditates.]* *Cupiditas* est impensa appetitio, quae nulla ratione cohibetur.

*Superstitione.]* *Superstitio* ducta est ab his qui continuo Deos orant, ut liberi sui sint superstites; author CICERO *lib. 1. de natura Deorum*; superstitio autem *hoc* in loco ad eos refertur, qui Deos colunt non meliores fele & cane.

*Meliores.]* Ducem nacti, qui eos veram vivendi rationem doceat.

#### IN CAPVT DVODECIMVM.

*Participandum.]* Homo enim animal civile est. Nam qui extra societatem vivit, aut Deus est aut bestia.



*Disputatione.*] In qua nobis propositum est, ius a natura ortum esse demonstrare.

*Nihil a se alienum.*] M. TULLIVS lib. 1. *Offic.* Est, inquit, difficilis cura rerum alienarum; quanquam Terentianus ille Chremes humani nihil a se alienum putabat; id autem est aliena negotia curare, & omnia putare ad se pertinere.

*Ratio.*] Gradatio est, in qua a primo ad ultimum venit, ideoque eam argumentationem Dialectici vocarunt a primo ad ultimum.

*Recta ratio.*] Rationem enim quam inchoavit, eadem natura perficit.

*Qui primus utilitatem.*] Qui aliam utilitatem invenisset, quam eam quam natura docuisset. Is qui ex alienis incommodis sua commoda comparat, utilitatem a natura seiungit. Is vero qui nil sibi utile esse putat quod aliis noceat, utilitatem a natura non separat.

*Quam alteri.*] Amicitia ergo est inter duos, & amicitiam virtus conciliat.

*De quo cum.*] Nam ut iuris ortum & fontem invenerimus, haec omnia praemunivimus. Positis autem fundamentis disputationum, reliqua paucis verbis transigi possunt.

#### IN CAPVT DECIMVM TERTIVM.

*Primum.*] Haec sunt principia quae reliquo sermone praemuniverat Marcus, ex quibus colligeret ius a natura esse ortum: id enim est quod hoc 1. libro quaerimus, ortumne sit a natura ius.

*Muneribus.*] Munera Deorum sunt ratio, cogitatio, sensuum ministeria.

*Benevolentia.*] Amicitiam dicere non audet, quoniam benevolentia longe lateque diffusa a sapiente in sapientem confertur.

*Recte.*] Recte dixit non bene. Recte enim ea videntur concedi posse, quae dicuntur probabiliter, etiam si vera non sint.

*Arbitror.*] Non ut Epicurus magister meus.

*Vt eis.*] Multae enim sectae sunt contrariae, quae non recipiunt eadem principia.

*In bonis.*] Peripatetici tria fecerunt genera bonorum: virtutem, quam vocabant summum & verum bonum, quae sua natura laudabiles reddit. Bona naturae in secundo genere ponebant, quae etsi laudabilia non sunt, bona tamen sunt. In tertio genere bona fortunae, quae ipsa laudabilia non sunt, sed ad beatam vitam pertinent.

*Academia vetere.*] Veteres Academici sunt veteres Platonis auditores. CICERO lib. 4. de finibus bonorum & malorum.

*Re.*] Sententia de summo bono. Multis enim aliis in rebus dissentiebant.

*Generi docendi.*] Quod fuerit genus docendi Peripateticorum, docet M. TULLIVS in *Oratore ad M. Brutum*: Disserebant enim de quaestione proposita in utramque partem, ut ube-

rius dici poterat: cum Academici tantum disputarent adversus ea quae ab aliis dicebantur.

*Aristonis.*] M. TULLIVS lib. 2. de finibus: Quae prima natura appetit, Aristoni & Pyrrhoni visa sunt pro nihilo, ut inter optime valere & gravissime aegrotare nihil dicerent interesse: contra quos recte iam diu desitum est disputare.

*Practam & coniunctam.*] Bonam valetudinem Academici & Peripatetici expetendam esse dicebant: Stoici non expetendam, sed seligendam: ut in re convenient, verbis discrepent.

*Sibi autem.*] Epicureos denotat.

*Nihil enim.*] Locus disputandi adversus Epicureos, est cum quaerimus de finibus bonorum & malorum, id est quod sit extremum in bonis, & extremum in malis.

*In hortulis.*] Epicurus Athenis hortos reliquit testamento suis sectatoribus; vide *epistolam ad Torquatum*.

*Ab omni.*] Epicurei stultum esse putabant Respublicas attingere.

*Nec norunt.*] Epicurum sui sectatores architectum veritatis vocabant: nihil enim dissimulabat: omnia enim ut sentiebat dicebat.

*Perturbatricem.*] Nova Academia omnes sectas perturbabat, quoniam nihil esse in his veri dicebat, atque ita nihil audebant affirmare.

*Nam & in his.*] Probat M. Tullius ius esse in natura positum, non in hominum opinione: quoniam & iniuria in natura posita est; quaedam enim sunt quae natura sua iniusta sunt.

#### IN CAPVT DECIMVM QVARTVM.

*Quae quondam.*] Quando homines more ferarum vagabantur.

*Fraudumque.*] Fraus culpa est.

*Defensionemque.*] Quod si impii facinoris sui excusationem petunt a naturae iure.

*Naturae iure.*] Vlcisci iniuriam, iuris naturae est: natura enim nos docet, vim vi repellere.

*Incauti.*] Qui non satis occulte fecerint ea quibus supplicium erat constitutum.

*Credo quid.*] Rem foedam & turpem noluit nominare.

#### IN CAPVT DECIMVM QVINTVM.

*Quae scita.*] Instituta a legibus differunt, quod leges in institutis sunt, non autem omnia instituta sunt leges. Lex enim est quae aliquid scripto sancit aut vetat, mores autem in institutis sunt, etsi leges non sunt.

*Tyrannorum.*] Quos Atheniensibus devictis Lacedaemonii imposuerunt.

*Tyrannicis legibus.*] Quot sunt genera Rerumpublicarum, tot sunt genera legum. Leges itaque sunt aut tyrannicae, aut regiae, aut populares, aut (ut ita loquar) optimates.



*Interrex.]* Interreges primo creati sunt mortuo Romulo, cum Patres de Rege creando ambigerent: inde factum est ut *Interreges* dicerentur, qui a Patribus creantur, cum de Consulibus creandis ambigitur, aut cum Respub. spoliata est patriciis magistratibus.

*Vnum ius.]* Vnum autem esse ius non posset, si ius id esset quod populus aliquis iuberet. Varii enim populo varia habent iussa & scita.

*Recta ratio.]* Non ea lex, quae scripto aliquid sanxit.

*Qui ignorat.]* Is legem hanc ignorat, qui naturam ducem non sequitur.

*Utilitate omnia.]* Is utilitate metitur omnia, qui leges sancit ex sua utilitate.

*Utilitate alia.]* Quod enim alii utile est, alii est inutile.

*Bene merendi de altero.]* Propensi sumus ad homines diligendos: sumus enim inter nos similes, ita ut qui alterum diligit, seipsum diligit.

*Fundamentum iuris.]* Iuris partes hae sunt, *Neminem laedere, suum cuique tribuere*: quae in ea dilectione posita sunt & charitate quam habemus erga genus hominum.

*Quae est homini.]* Homini coniunctio est cum Deo rectae rationis, legis, iuris, civitatis: est quaedam praeterea cognatio: sumus enim animalia generis divini.

#### IN CAPVT DECIMVM SEXTVM.

*Principum decretis.]* Optimatum decreta sunt Principum decreta. Optimates enim *principes* dicuntur.

*Latrocinari.]* Quod laudi ducebatur horum temporibus.

*Testamenta.]* Quod prohibetur *lege Cornelia testamentaria*.

*Mala.]* Invertit naturam, qui ex malo facinore ius facit.

*Lex.]* Sub lege continentur iussus populi, Principum decreta, iudicum sententiae.

*Eadem facere.]* Quod si facere non possunt, ne illud quidem possunt.

*Nisi naturae.]* Bona enim lex est, quae cum natura consentit: mala, quae naturae repugnat. Natura autem sumi debet incorrupta & integra: mala enim est norma virtutum & vitiorum natura corrupta. Naturae porro nostrae duae corruptelae sunt, pravae consuetudinis & falsae opinionis.

*Nam & communis.]* Sententia huius loci haec est, turpia & honesta communi intelligentia diiudicari: quod si ita est, naturam diiudicari: natura enim communes rerum intelligentias in animis nostris inchoavit.

*Vt honesta.]* Honestas sunt quae natura sua sunt laudabilia, turpia autem quae sua natura sunt vituperabilia.

*Nec arboris.]* Quemadmodum virtus homi-

nis quae proprie *virtus* dicitur, est naturae humanae perfectio: ita arboris & equi virtus, perfectio eius est.

*Cautum.]* In aliis libris, *cautus* legitur. Prudentia enim non tam *virtus* dicitur quam *mater omnium virtutum*; prudentia in virtutibus moralibus non est, sed in virtutibus intellectus.

*Non ex ipsius.]* *Habitus* est qualitas quaedam quam longa consuetudo in animis nostris ingeneravit.

*Perfecta ratio.]* Virtutem esse dicebamus in naturae perfectione: perfectio autem naturae rationis perfectio est: ratio autem perficitur a natura, a qua fuerat inchoata.

#### IN CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

*Vt consequentia.]* Res quaedam sunt quae sese natura consequuntur, ut si unam ponas, alteram quoque ponas, quaedam vero ita repugnantis, ut si una ponatur, altera evertatur.

*Constans.]* *Falsa oratio* dicitur non quam homines falsam existimant, sed quae aliter rem habere dicit quam habeat.

*Virtus.]* Quae non potest haberi ab eo qui vitiorum fluctibus agitur.

*Quod laudabile.]* Quaedam sunt bona non laudabilia, ceu divitiae, vires, forma, sanitas, nobilitas. Bonum autem id quod laudabile est, in virtute ponitur, quod idem *honestum* dicitur.

*Ipsium enim bonum.]* Argumentum est a genere ad formam. *Bonum natura facit non opinio, bonum laudabile est bonum, quare bonum laudabile in natura est non in opinione. Laudabile natura facit non opinio, honestum bonum est laudabile, quare honestum natura facit non opinio.*

*Non opinionibus.]* Bonum est non opinio sed natura.

*Beati.]* Virtus enim beatos facit.

#### IN CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

*Et ea sint.]* PYTHAGORAS duo rerum principia fecit ad quae res omnes referri possunt, bonum & malum.

*Perturbat.]* Ut non possimus percipere quae bona natura sint an quae mala.

*Scena.]* Poeta animos nostros saepe in errorem inducunt suis fabulis.

*Multitudinis.]* Populus pessimus est veritatis magister.

*Omnis sensu.]* Omnibus enim sensibus percipimus voluptatem.

*Voluptas.]* *Voluptatem* dicebat PLATO esse *escam omnium malorum*, qua homines capiuntur & inescantur tanquam hamo pisces.

#### IN CAPVT DECIMVM NONVM.

*Viri boni.]* Qui laudabilia & honesta concupiscunt.



*Errare.]* Stulti & imprudentis est errare: vir autem bonus, cum longe absit a stultitia & imprudentia, non errat.

*Et iustitia.]* Quoniam id est, quod iustitia dicitur.

*Cum mercede.]* Quare non est liberalitas.

*Officium non fructum.]* Officium est cuius ratio probabilis reddi potest.

*Aequalitas.]* Sine qua non potest fieri participatio inter homines.

*Modestia.]* M. TVLLIVS lib. 4. *disputationum Tusculanarum*, eandem facit *temperantiam* & *modestiam*, quam eandem & *moderationem* & *frugalitatem* vocat. In modestia modus rerum.

M. TVLLIVS I. *Offic.* Temperantia sedatio perturbationum, quam virtutem Graeci vocant *σωφρόνησις*.

*De verecundia.]* Verecundia reverentia est adversus homines, & optimum quemque & quemlibet. M. TVLLIVS libro I. *Officiorum*: Cuius proprium est neminem offendere, quem admodum iustitiae neminem laedere.

*Pudore.]* Pudor est metus ab officio recedendi.

*Innocentes.]* Innocentia voluntas est nemini nocendi, quam Graeci *ἀβλαβείαν* vocant.

*Naturae putes.]* Naturae & fortunae bona & item mala, nec laudantur rite neque vituperantur, sed tantum animi.

*Virtute.]* Ita ut virtus non propter ullam utilitatem, sed per se expetenda sit.

*Propter alias.]* Ad virtutem referuntur omnia. Id autem quo aliud refertur, praestantius est eo quod refertur.

*Quandiu affutura.]* Virtus autem permanens est.

*Voluptatem.]* In voluptate devincenda maxime virtus cernitur, quoniam a voluptate maxime oppugnamur: evertit enim iudicium rationis.

*Nectantur.]* Disciplina Stoicorum maxime praeter caeteras concatenata, connexa & apta inter sese fuit: unde haec omnis de iuris origine desumpta est disputatio.

## IN CAPVT VICESIMVM.

*Finem bonorum.]* Finis bonorum est extremum bonorum & summum, finis item malorum extremum & summum.

*Dissensionis.]* Nulla maior dissensio inter philosophos quam quaestio de *finibus bonorum & malorum*. Idque *libris 5.* explicavit CICERO.

*L. Gellius.]* Hic est L. Gellius Publicola quem in *oratione pro Sestio* vocat *clarissimum virum*, & *consulem fortissimum* M. TVLLIVS: in *Bruto* L. Gellium *suam familiarem* vocat.

*Ex Phaedro.]* Phaedri Epicurei philosophi, Attici familiaris, meminit M. TVLLIVS *epistola prima ad C. Memmiam*, lib. 13. *epistolarum*.

*Cum Proconsules.]* Hinc colligimus non tantum eos dici *Proconsules*, qui ex consulatu in provinciam mittuntur: sed quicumque in provinciam mittuntur cum imperio proconsulari.

*Operam suam.]* TERENCE in *Andria*: *Ausculato, loquere, hanc tibi operam dico.*

*Antiquam Academiam.]* Antiqua Academia constat ex auditoribus PLATONIS.

*Bonum esse.]* Itaque tria genera faciebant bonorum; unum in natura ponebant, alterum in fortuna, tertium in virtute.

*Re ac non verbis.]* Re conveniunt Stoici & Academici: nam utrique divitias dicunt esse eligendas, sed alii bonas vocant, alii non. Magna autem esset controversia inter Stoicos & Academicos, si Stoici malas divitias, Academici bonas dicerent: tum enim re dissiderent.

*Antiocho.]* Antiochus Academicus fuit Philonis auditor, hic librum edidit *de concordia Academicorum & Stoicorum*.

*Non audeo.]* Vereor enim, nequis condiscipulorum audiret, qui valde irasceret.

*Prudens.]* Prudentia summe opus est in litibus componendis.

## IN CAPVT VICESIMVM PRIMVM.

*Quin istuc.]* Si legimus, *qui*, non *quin*, sententia haec erit, quo tandem modo vides controversiam posse sedari.

*Chius Aristo.]* Aristo Chius cum Pyrrhone discipulus Zenonis fuit.

*Platonis familia.]* Disciplinae philosophorum *familiae* dicuntur: quoniam philosophi eiusdem disciplinae quodammodo sunt, & ab ipsis philosophis nomen habent.

*Alio modo.]* Veteres tam Academici quam Peripatetici divitias bonas vocabant, quia erant commodae, & nos in vita iuvabant, non quod laudabiles sint.

*De finibus.]* Ludit ambiguitate verbi de *finibus*.

*Usucapionem.]* Nam possessionis usucapio est. *Quos Socrates.]* Socrates summum bonum esse dixit, *vivere secundum naturam*: summum malum, *declinare a natura*. Alludit autem CICERO ad id quod scribit PAPINIANVS, *ff. finium regundorum*. In *finalibus*, inquit, *quaestionibus vetera monumenta sequenda sunt, modo si non varietate successionum & arbitrio possessorum fines detractis vel additis agris permutati sunt*.

*Quasi lege.]* Lex enim proprie est, quae scripta est.

*An unquam.]* Ex hoc loco colligimus nondum scriptos libros *de Finibus*.

## IN CAPVT VICESIMVM SECVNDVM.

*Zaleuci.]* Zaleucus leges dedit Locris Zephyriis, qui in Brutiis sunt. *Zephyrii* autem dicti sunt



sunt a promontorio *Zephyrio*. Hic *Zaleucus* primus scripto sanxit, quae poena sceleri deberetur; ante eum poena arbitrio iudicis irrogabatur.

*Plebiscita.*] Quae lege *Hortensia* tantum valere coeperunt quantum leges.

*Est buius.*] Ostendit cur quae haecenus dixit, ducta sint omnia ex media philosophia.

*Φιλοσοφία.*] *Pythagoras*, quae antea σοφία dicebatur, vocavit φιλοσοφίαν.

*A Diis.*] Est enim Deorum donum sapientia, ut *PLATO* dixit.

*Sed Delphico.*] Dictum *Chilonis Lacedemonii*.

*Tantoque munere.*] Animo enim coluntur *Dii*.

*Instrumenta.*] Instrumenta ad scientiam comparandam duo sunt aptissima, communes intelligentiae & sensuum ministeria.

*Illustratus.*] Communes intelligentiae humana ingenia illustrant.

## IN CAPVT VICESIMVM TERTIVM.

*Cognitis.*] Pars philosophiae, quae dicitur *moralis*.

*Dolorisque.*] Quo iure posita est fortitudo.

*Idemque.*] Pars philosophiae naturalis.

*Popularem.*] *Populares* sunt, qui sunt ex eadem civitate. Itaque *Socrates* rogatus cuius esset, *mundanum* se dixit.

## IN CAPVT VICESIMVM QVARTVM.

*Atque haec.*] Tertia pars philosophiae quae *dialecticam* & *rhetoricam* complectitur.

*Cumque se.*] De *rhetorica*.

## IN LIBRI SECVNDI.

## IN CAPVT PRIMVM.

**D**uctus.] Quoniam habebant similitudinem fluviorum & freri.  
*Ad naturam.*] Naturae (a qua ius ortum est) lex prima est, ut *Deos* colamus: *Deorum* autem cultus religionibus & ceremoniis continentur; quare prima lex quae liberis civitatibus dari debet, religiones & ceremonias complectitur.

*Natura dominatur.*] Maxime delectamur iis quae maxime naturalia sunt, quod placitum est *Epicuri*.

*Roma.*] *Arpinum* enim longe a *Roma* aberat.

*Plureis.*] Tum licet ab urbe abesse, cum in senatum veniendum non est: *Senatores* enim abesse non poterant nisi causa necessaria.

*Haec est mea.*] Nec nos volumus pro *Romanis* venditare.

*Hic sacra.*] Vnaquaeque familia & gens sua sacra habebat, & apud *Graecos* & apud *Romanos*; quorum sacrorum meminit *Plato* in libris de legibus.

*Gens.*] Gens agnatorum, sive gentilium multitudo.

*Hanc villam.*] *Villa* ab eo quod in eam invehuntur & evehuntur cum veniunt, dicta est; a quo rustici *veam* non *viam* dicunt propter *vecturas*: & *vellam* non *villam* quo vehunt. Item qui vehunt, dicuntur *vellatoriam* facere.

*Infirma valetudine.*] Atque ita accedere ad *Remp.* ausus non est; vide 2. *orat. in Rullum*.

*Curiana.*] *Curii Dentati* qui de *Pyrrho*, de

*Samnitibus*, & de *Sabinis* triumphavit. *M. Cato* in *dialogo de Senectute*, de villa *Arrii* loquens; *Cuius villam*, inquit, *contemplans* (non enim longe abest a mea) *nescio quid mirer maxime, illiusne viri doctrinam, an illorum temporum continentiam.*

*Sapientissimus.*] Qui mores hominum multorum vidit & urbes.

*Ithacam.*] *Ithaca* insula in qua regnabat *Vlyses*, & haerebat scopulo nidi in modum; vide *epist. ad Attic.* cuius initium est, *O casum mirificum*, lib. 16.

## IN CAPVT SECVNDVM.

*In quo tu ortus.*] Quibus consulibus natus sit; vide *CICERO* in *Bruto*.

*Habitare, ubi sedere.*] Vide *prooemium* lib. 5. de *Finibus*.

*Nunquid vos.*] Vide *CICERO* in *dialogo de Senectute*.

*Municipibus.*] *Municipes* sunt, qui possunt munera in urbe administrare, & honores petere, ac si nati *Romae* essent.

*Civitatis.*] Civitatis eiusdem sunt, qui eodem iure utuntur.

*Atticis.*] *Idem* & *Sunnii* erant & *Attici*.

*Meam esse.*] *Municipium* pars est civitatis.

## IN CAPVT TERTIVM.

*Pro Avidio.*] Hunc *Avidium* videtur *CICERO* intelligere in *oratione pro Balbo*, quem *Pompeius*



ius donaverat civitate.

*Conservatores.]* C. Marius & M. Tullius.

*Rostro.]* Rostra navium sunt.

*Praecipitat in Lirem.]* Ita dixit in Somnio Scipionis, *Vbi Nilus praecipitat in ea loca, quae Catadupa nominantur.*

*Familiam.]* Familiae aliae *patritiae* sunt, aliae *plebeiae*; equestres plebeiae sunt, Equites enim in plebe sunt.

*Socrates.]* Socrates in *Phaedro* flumen Illisium tentat pede.

*Amaltheo.]* Atticus gymnasium habebat in fundo Amaltheo.

*Arati.]* M. TULLIVS CICERO *Arati phaenomena* in Latinum sermonem convertit, in quo opere haec erat invocatio.

*Dii.]* Iupiter natura est immortalis, caeteri Dii natura quidem mortales, divino consilio immortales, ut scribit CICERO in *lib. de Vniuersitate.*

*Vim sermonis.]* Vulgus enim scripturam legem vocat.

## IN CAPVT QVARTVM.

*Recta docendi.]* Recta docendi via est, quando tollitur omnis sermonis ambiguitas, & error, qualis ambiguitas est in nomine *legis.*

*Aeternum.]* Aeternum est, quod nunquam esse coepit, nec desinet esse.

*Principem.]* Legem *principem* vocat *mentem Dei*, quoniam sapientes omnes leges ad illam referunt.

*In ius.]* Lex est duodecim tabularum, *si in ius vocat, si morbus vitiumve extitit: qui in ius vocabit, iumentum dato.* Pueri autem olim legem duodecim tabularum discebant, atque ideo dicit a *parvis.*

*Aequalis.]* Simul enim esse coepit cum Deo.

*Tarquinius.]* Prima lex de stupris fuit *Iulia.*

*Verum quoque.]* Ea vera sunt, quae natura recta sunt.

*In mente.]* Id est, ratio perfecta in mente sapientis lex est. Id dixit *lib. 1.*

## IN CAPVT QVINTVM.

*Quae sunt autem variae.]* Quaedam sunt leges temporariae, quae ad tempus feruntur, quae verae leges dici non possunt, quia iustae semper non sunt.

*Maximis.]* In civitate enim lege nil maius est; sine lege civitas esse non potest; quare lex in maximis bonis est. In lege autem consuetudo continetur. Legum enim quaedam scriptae sunt, quaedam non scriptae.

*Optimis.]* Quare lex iusta esse debet.

*Latores.]* Scriptum fuisse videtur *latrones*, ut illae leges, quae iustae non sunt, nihil differant a latronum scitis.

*Cui modi.]* Antea scriptum erat *cuiusmodi*, pro *cuiuscunque modi*. Ita TERENTIUS dixit in *Heauton.* *Cuius* pro *cuiuscunque*, & quosque pro *quoscunque*. Ita M. TULLIVS ad *Atticum.* *Cuiusmodi divisores habitarent*; pro *cuiuscunque modi*. Ita idem CICERO in *epistola ad Marcel.* *Cuiusmodi res essent.*

*Leges.]* His dicebat Solon Rempublicam contineri.

## IN CAPVT SEXTVM.

*Titias.]* Sulpitius tribunus plebis duas leges iniustas tulit, ut exules reducerentur, ut novi cives & libertini in certas tribus distribuerentur; tertia fuit, ut C. Marius contra Mithridatem mitteretur.

*Apuleias.]* Cn. Apuleius Saturninus tribunus plebis legem per vim agrariam tulit.

*Ne Livias.]* M. Livius Drusus tribunus plebis leges tres tulit, agrariam, frumentariam & iudiciariam. Leges autem *Liviae* sublatae sunt, quae contra legem *Didiam* & *Caeciliam* latae erant. Cuius legis ea erat sententia, ne quis ad populum coniunctim ferret; vide *orat. pro Domo sua.*

*Senatus.]* Senatus enim iudicavit illis legibus populum non teneri.

*Fecisse video.]* Quemadmodum Plato, & nunc ego.

*Locri.]* Locri sunt in Brutiis.

*Optime mereri.]* Vnde *boni* Dii appellantur.

*Summa ingenii.]* Mundus & caelum vix ab homine ratione ingenii comprehenduntur, ergo mundus & caelum ratione moventur.

*Ad fruendum.]* Stoici quaecunque e terra procreantur, ad hominum usus procreata dicunt a Deo.

## IN CAPVT SEPTIMVM.

*Omnia.]* In quibus ratio est, divinum aliquid est.

*Naturae.]* *Natura* hic pro Deo sumi videtur.

*Supplicii metus.]* Et hi qui supra leges sunt, & qui in occulto delinquant, Deum ultorem metuunt.

*Quis enim.]* De hoc vide M. TULLIVS in *Orat. ad Brutum.*

*Eadem.]* Quae interpretamur & convertimus, proprie non sunt nostra.

*Et locus.]* Quoniam sumus in nostris possessionibus.

*Sacratissque.]* Leges veteres *sacratae leges* sunt, a regibus latae, quibus ipsi quoque reges tenebantur, quas PAPHRIVS in unum librum redegit, diciturque id *ius Papyrianum*. M. TULLIVS in *orat. pro domo sua*, Leges sacratas a *legibus XII. tabularum* separabat.

*Deus ipse.]* Neque enim id hominibus notum esse potest.



## IN CAPVT OCTAVVM.

*A patribus delubra.*] Quid intersit inter *templum* & *delubrum*, vide ASCONIVM: sed tamen ex *hoc loco*, possumus conicere non quod ille putat, sed *templa non omnia Deorum esse*, *delubra autem omnia Deorum*.

*Lucos.*] In lucis sacra faciebant.

*Et eos qui.*] Notat lex Deos maiorum & minorum gentium.

*Liberum Aesculapium.*] Vide *lib. 2. de natura Deorum*.

*Mentem.*] CICERO *lib. 2. de natura Deorum*: *Ea consecrantur, in quibus inest vis aliqua maior, & Dii nominantur, ut Fides, Mens, quas in Capitolio M. Aemilius Scaurus dedicavit: antea autem ab Atilio Calatino fuerat Fides consecrata.*

*Feris iurgia.*] Feriarum quaedam *publicae* sunt, quaedam *privatae*: *privatae*, quae cuiusque familiae propriae sunt, veluti familiae Clodiae. *Publicarum vero* quatuor sunt genera, aliae enim sunt *stativae*, aliae *conceptivae*, aliae *imperativae*, aliae *nundinae*.

*Certasque fruges.*] M. VARRO *lib. 1. de re rustica*, *Quid vos inquam hic? Num feriae sementinae otiosos huc deduxere, ut patres & avos?*

*Alios dies.*] Numa intercalationem instituit sacrorum causa.

*Hostiae.*] Foetus ovis, decora hostia est post septimum diem: suis, post decimum.

*Flamines.*] Tres flamines instituit Numa, *Dialem, Quirinalem, & Martialem*.

*Praesit ceremoniis.*] Pontifices omnibus regionibus praesunt tam publicis quam privatis, inter quos *Maximus* unus erat, & reliqui *minores* dicebantur. Testis CICERO in *oratione de Aruspicum responsis*.

*Iovis optimi.*] Cur Iupiter dicatur *Optimus Maximus*, vide *lib. 2. de natura Deorum*.

*Vineta.*] *Vineta* & *virgulta* sacerdotes augurantur, cum a Diis petunt, ut bene evenire sinant.

*Ollisque parento.*] Nihil tentato invitis Diis.

*Irrita.*] Omnis enim infamia capitalis poena est.

## IN CAPVT NONVM.

*Iudicesve.*] In libris veteribus scriptum est, *Iudices hi sunt*; videtur scriptum fuisse, *Iudices publici sunt*.

*Ad Hetruscos.*] Vide *lib. 1. de Divinatione*.

*Obstita.*] *Obstita*, ut FESTVS scribit, *sunt quae de caelo tacta sunt*.

*Graeco sacro.*] *Sacrum Graecum* dicitur, quoniam ab Atheniensibus ad alias gentes promanavit; author CICERO *act. 2. in Verrem*.

*Ludis.*] Duo sunt genera ludorum publicorum, quidam enim in cavea, quidam in circo committuntur.

*Sacrum fasro.*] In templis pecuniae deponerentur, quas qui clepserat, non minus sacrilegus erat, quam qui rem divinam clepserat. Qui autem rem sacram furantur, quoniam Deos violant, rerum omnium authores & parentes paricidae dicuntur.

*Violati iuris.*] Nolunt enim Dii decipi.

*Ne quis agrum.*] Lex Q. Papyrii Tribuni plebis, aedes, terram, aram, iniussu plebis consecrari vetabat, ne homines priventur harum rerum usu.

*Hos leto datos.*] Animae clarorum virorum divinae post mortem habentur.

## IN CAPVT DECIMVM.

*Legibus Numae.*] Numa sacrorum Romanorum author. Vide LIVIVM *lib. 1. ab urbe condita*.

*Hodie rogabuntur.*] Ita loquitur ac si ad populum legem ferret.

*More.*] Initio urbis leges non scribebantur, sed mos pro lege valebat.

*Castimoniam corporis.*] Satis enim castum corpus est, in quo animus castus est.

*Aspersione aquae.*] Diis inferis sacrificaturi corpus aqua aspergebant ramo olivae. Diis superis totum corpus abluebant sacrificaturi.

*Pietatem adhiberi.*] Sacrificaturi, aliquot dies secubabant ab uxoribus.

*Deus.*] Deorum violatoribus poenae statim a diis persolvuntur.

*Ignotas ceremonias.*] A quibus tamen ignari ceremoniarum rationem debent accipere.

*Xerxes.*] *Xerxes*, ut scribit CICERO & hominibus & Diis bellum indixit.

## IN CAPVT VNDECIMVM.

*In fundi.*] Esse potest *fundus*, ut non sit villa: *villa* autem non potest esse sine fundo.

*Divinos.*] Qui vocantur Dii quasi gentium minorum.

*Consecratur manu.*] *Templa* quae dedicabantur, manu Pontifex tangebatur, atque ita carmen suum effabatur.

*Cylonio.*] Cylon Atheniensis, clarus vir apud suos & potens arcem urbis occupavit. Vide THVCYDIDEM *libro primo*.

*Epimenide.*] Vide PLATONEM *libro primo de Legibus*.

*Araque vetus.*] Locus corruptus videtur, atque ita posse emendari, & *altera in summa parte vici longi*. Tres enim arae Febris Romae fuerunt, tertia in area Marianorum monumentorum.

*Exquiliis.*] *Exquiliae mons septiceps*, ut scribit VARRO, a regis excubiis ita dictus. OVIDIVS, *Adde quod excubias ubi rex Romanus habebat, Qui nunc Exquilias nomine collis habet.*

Sta-



*Statoris.*] Romulus Iovi Statori templum dedicavit. Vide LIVIVM lib. 1. *ab urbe condita.*

*Honoris.*] Honoris templum a Marcello renovatum, a Q. Maximo prius dedicatum fuit bello Ligustico.

*Fortuna.*] Fortuna fors merito nominatur, a casuum incertitudine.

*Respicens.*] Fortunae respicientis templum fuit iuxta templum Iovis & fortis Fortunae ultra Tyberim. A quo autem dedicatum fuerit, vide ALEXANDRUM ab ALEXANDRO in *diebus genialibus*, & Fortunae primigeniae in colle Quirinali.

## IN CAPVT DVODECIMVM.

*Feriarum.*] In diebus festis feriae continentur. *Festi* enim dies sunt, quibus diis sacrificatur, & quibus epulum populo datur, & quibus diis ludi fiunt, & feriae, quarum quatuor esse genera a nobis antea dictum est. Lex autem de stativis tantum intelligit.

*Ad perfectionem operum.*] Ferias conferri ad perfectionem operum rusticorum, est facere ut feriae redeant operibus rusticis absolutis.

*Ratio intercalandi.*] Ut cursus solis cum cursu lunae posset convenire, certi dies interserebantur & intercalabantur a Pontifice. Vide MACROBIUM & GREGORIVM GELLIVM *de die, mense, & anno.*

*A Numa.*] Alii putant a Tarquinio, alii a Decemviris, quos VARRO confutat.

*Pontificum.*] Pontifices docent, quomodo sacrificandum sit, Aruspices quibus diis.

*Cuique Deo.*] Neptuno taurus maior hostia sacrificatur: Robigo lacteus catellus. Diti maribus, Proserpinae foeminis hostiis sacrificatur.

*Singulorum.*] Vniversis diis Pontifices dantur, singulis autem Flamines.

*Graeco nomine.*] ἱστᾶν Graeci vocant *larem* & *focum*.

*Complexa.*] De hac re vide CICERO 2. *de natura Deorum.*

*Virgines.*] Et si castae non sint, id fieri suo vitio non naturae.

*Patrum.*] Pontifices autem e Patribus creabantur; testis CICERO in *orat. pro domo sua.*

*Iustae religionis.*] Tria sunt genera iustae religionis, sacra, vatum praedicta, & auspicia.

*Placandos.*] Placantur ii Dii, quos Aruspices decreverint placandos esse.

*Praedicta vatum.*] Romae soli libri Sibyllini habebantur. Sacerdotes quidam instituendi sunt, qui praedicta vatum interpretentur, ne consilia Senatus in vulgus emanent, & quae a Senatu suscipiuntur ex libris vatum, vulgus intelligat.

*Augurum.*] M. Tullius posteaquam ab exilio rediit, Augur fieri voluit, quod antea contempserat. Vide *epistolam primam ad Catonem.*

*Comitiatus.*] *Comitia* sunt, ad quae populus

universus convenit. *Consilia*, ad quae plebs tantum convenit.

*Vnus Augur.*] Augures quae prospera non sunt, altera vocant: quare pro *aliter* vide, an legendum non sit *alteram*.

*Se abdicent.*] Vide lib. 1. *de Divinatione.*

*Quam cum populo.*] Magistratus non prius cum populo agere poterant, quam Augures consultuissent, liceretne agere.

*Vt Livias.*] Non dixit M. TVLLIVS *Sublatas leges Livias*, quod essent latae contra auspicia, sed consilio Philippi, qui idem erat Consul & Augur.

## IN CAPVT DECIMVM TERTIVM.

*Et Appium.*] Appius Pulcher libros de *Aruspicina ad Cic.* scripsit.

*Utilitatem Reipub.*] Vt hac religione impedirentur conatus civium seditiosorum.

*Divinationem.*] Quae sint partes divinationis, docet CICERO lib. 1. *de Divinatione.*

*Cum Deos.*] Haec sunt divinationis fundamenta.

*Polyidi.*] Huius *Polyidi* meminit CICERO lib. 1. *de Divinatione.*

*Mopsi.*] Mopsus rex Argivorum fuit, ut scribit CICERO lib. 1. *de Divinatione.*

*Amphiarai.*] Amphiarus Argivus vates, filius Oilei.

*Chalcantis.*] Chalcas vates Graecus, cuius meminit VIRGILIUS lib. 2.

*Arabum, Phrygum.*] Omnes hi populi Asiae minoris sunt praeter Arabes. M. CICERO lib. 1. *de Divinatione*, *Pryges autem, Cilices, Pisidae & Arabum vates avium significationibus plurimum obtemperant.*

*Romulus.*] Romulus primus Augur in urbe fuit.

*Accii.*] De Accio Navio vide LIVIVM lib. 1. *de Divinatione.* Floruit autem tempore Tarquinii Prisci.

## IN CAPVT DECIMVM QVARTVM.

*Aruspicum.*] Aruspices Hetrusci, monstra, prodigia & portenta interpretabantur.

*Ipsa lege.*] In lege enim scriptum erat, ut Diis procureretur, quibus Aruspices creverint.

*Religione.*] Epicureus philosophus nihil minus quam de religione vult audire.

*Solenni sacrificio.*] M. TVLLIVS in *oratione de Aruspicum responsis*, de hoc sacrificio ita scribit, *Sacrum quod per Virgines fit, fit pro populo Romano, fit in ea domo, quae est in imperio, fit incredibili ceremonia, fit ei deae, cuius ne nomen quidem scire fas est.*

*Eumolpidaeque.*] Eumolpus Musaei filius, a quo sunt *Eumolpidae*, ex qua familia eligebantur, qui in quodam sacrificio nocturno preces Diis



Diis pro populo offerebant. Vide **AESCHINEM** in *orat. contra Ctesiphontem*.

**Ex agresti.]** Religio animum maxime domat.

**Initiaque.]** M. TULLIVS *act. 7. in Verrem*, Teque Ceres & Libera imploro, quarum sacra sicut opiniones hominum has religiones longe maximis ac occultissimis ceremoniis continentur, a quibus initia vitae ac victus legum, morum, consuetudinis & humanitatis exempla hominibus & civitatibus data.

**Oculorum.]** M. TULLIVS in *orat. de Aruspicum responsis*: Quod autem tam occultum sacrum, quam id quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes, quo non modo improbitas, sed ne imprudentia possit intrare?

**Adiuci.]** Si quis vir per imprudentiam sacra Bonae deae inspexisset, opinio erat oculos amitti.

#### IN CAPVT DECIMVM QVINTVM.

**Rogato.]** Ita loquitur Pomponius, ac si ex Atticis unus esset.

**Oculis.]** Multorum oculi & lux, duo custodes optimi pudicitiae.

**De Bacchanalibus.]** Sp. Posthumio & Martio Philippo Procos. Bacchanalia sacrum Graecum & nocturnum investigata ac multorum poena sublata sunt; vide **LIVIVM** lib. 9. *belli Macedonici*.

**Perpetua.]** Lex perpetua a temporaria distinguitur.

**Veteris.]** *Vetus comoedia* fuit Satyra, in qua nominatim homines taxabantur.

**Consilio expiatam.]** Vt si ludi rite facti non sunt, & in his imprudentia erratum est, ea errata expiantur a publicis Sacerdotibus, & mentes Deorum immortalium, ludorum instauratione placantur: quod si quis in Rempublicam religiones impias ac foedas inducit, in expiabilibus sunt; vide *orat. de Aruspicum responsis*.

**Cavea.]** Cavea, est locus is unde populus spectat.

**Auribus.]** Quae nihil nisi grave & severum solitae erant audire.

**Mutari posse.]** Modus canendi non mutatur, nisi ubi mores immutantur: ubi autem mores mutantur, ibi quoque leges mutari necesse est.

**Livianis.]** Livius Andronicus primus fabulam docuit, & ad tibiae cantum pueri vocem adhibuit: ipse autem tacitus gesticulationem peregit. Vide **VALERIVS MAXIMVS** lib. 2. *de antiquis institutis*.

**Timothei.]** Timotheus decimam & duodecimam chordam dicitur addidisse, & veterem Musicam effoeminasse.

#### IN CAPVT DECIMVM SEXTVM.

**Respondit.]** Significans Apollo eas esse op-

timas, quae antiquissimae essent.

**Deo proximum.]** Veteres homines se a Diis genitos esse gloriantur, & a Diis se religionem accepisse.

**Si eam.]** Stipem Ideae matris excipit, ne omnis superstitione tollatur.

**Clisthenes.]** Huius meminit **HERODOTVS**.

**Hoc quidem loco.]** Pertinent enim ad ius pontificum. *Incestus* autem proprie committitur cum virgine Vestali.

**Votorum.]** Is caute vota vovit, qui vovet quae possit praestare.

**Sceleratorum.]** Scelerati proprie sunt, qui religionem violant.

**Supra hominis.]** Cum **CICERO** sceleratos eos vocet, qui lares familiares suos violarunt, Deum se facere videtur.

**Apud Deos.]** Dii religionum, de quibus loquimur, optimi sunt & authores & iudices.

#### IN CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

**Perditorum civium.]** P. Clodius Tribunus plebis diruta domo Ciceronis in eius area templum aedificavit, & in eo signum dedicavit Libertatis P. Ro. quod *invidiosae CICERO licentiae* vocat. Vide **CICERO** in *orat. pro domo sua*.

**Illam custodem.]** Cuius consilio urbem a ferro & flamma Catilinae liberavimus.

**Eamque.]** M. Tullius Minervae signum, quod domi summa religione colebat, in Capitolio dedicavit, inscripsitque **MINERVAE VRBIS CVSTODI**.

**Caeteros.]** Significat religionem Bonae deae a Clodio pollutam.

**Vita cruciati.]** Vide **M. TULLIVS** in *orat. pro Milone* de cadavere Clodii.

**Vulgi.]** Vulgi opinio tyrannus pessimus.

**Qui nisi.]** Coniuratos intelligit.

**Modo timentes.]** Quod proprium est superstitionum.

**Iudicia.]** Significat iudicium corruptae religionis pollutum a Clodio.

**Tantum poenam Erebi.]** In libris veteribus scriptum est, *tantum poena merui duplicem poenam*. Videtur autem authoris alicuius opinionem referre; indicio est id quod sequitur, *quod constaret*.

#### IN CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

**Invidiosa res.]** Populi enim vicini invident cupiditate auri.

**Deo.]** Deus enim vivorum est non mortuorum.

**Pontificum ius.]** Ius Pontificum de religionibus est: ius autem civile in iure nostro vel retinendo, vel alienando, vel acquirendo positum est.

**Nova causa.]** *Causae* in forum veniunt, *consultationes* ad Iurisperitos deferuntur, quae de genere sunt univervo.



## IN CAPVT DECIMVM NONVM.

*Ignoracione.*] Iurisconsulti fere tantum iuris cognitione delectabantur. Quare M. TVLLIVS ad Trebat. scribens, *Non tu,* inquit, *is es quem ius solum civile delectet.*

*Aut ullo.*] In veteribus codicibus stellula est.

*Innumerabilia.*] Hanc unam sententiam, quae simplex est, in infinita dispersiuntur Iurisconsulti.

*Haeredum.*] Persona haeredis & testatoris pro una habentur. Haeredes sunt, ad quos haereditas pervenit.

*Qui morte.*] Legibus duodecim tabularum ita cavebatur, *uti quisque suae rei legasset, ita ius esto.*

*Haeres.*] Haeredum duo genera sunt, quidam enim morte & lege haeredes sunt, quidam testamento; si haeredes testamento non sunt, legatarii non sunt, quoniam ab haeredibus relinquuntur legata; quare tertia persona est eius, qui de bonis demortui plurimum usu cepit.

*Perinde.*] Hoc fit ut sacra perpetua sint.

## IN CAPVT VICESIMVM.

*Pontificem.*] Clarius enim ille tradidit quam veteres.

*Quod pontifices.*] Leges enim civiles id non iubent.

*Partitionis.*] Descriptionis superioris earum personarum, quae sacris astringuntur, caput secundum.

*Donatione.*] Etsi donatio causa mortis legatis fere per omnia exequatur, aliud tamen ius in legatis, aliud in donationibus constitunt; vide IUSTINIANVM, *titulo de donationibus, lib. 2.*

*Exactione.*] Exactio superior est ea, quam is fecit cuius ego sum haeres.

*Cohaeredibus.*] Insipientibus enim reliquis cohaeredibus id exegit, quod a patre fuerat praetermissum.

*Haeredes.*] Legata ab haeredibus praestanda sunt.

## IN CAPVT VICESIMVM PRIMVM.

*Scaevolae.*] Patrem & filium intelligit.

*Coruncano.*] Hic Coruncanus primus docuit ius civile in urbe.

*Vt centum.*] Deductio centum nummorum, onere sacrorum legatarium liberat.

*Rursus sacris.*] Itaque recentiores Pontifices antiquis contrarii sunt.

*Ea non.*] Hoc loco deest, quod de votis scripsit CICERO.

*Doctum.*] M. TVLLIVS in Bruto: *Vester etiam Decimus Brutus M. filius, ut ex familiari eius audivi, L. Accio poeta edicere non inculte solebat, & erat cum literis Latinis, tum etiam*

*Graecis, ut temporibus illis, satis eruditus. ex quibus verbis, ita hunc locum emendandum puto, Decimum Brutum accepimus solitum parentare mense Decembri, doctum hominem &c.*

## IN CAPVT VICESIMVM SECVNDVM.

*Popilia.*] Popilii, *Lenates* cognomento fuerunt; hic aut Aulus Torquatus fuit, aut Manlius Torquatus, qui Cos. fuit cum Q. Cassio Longino.

*Feriae.*] Feriarum duo sunt genera, privatae & publicae. Denicales autem feriae in eos dies conferri debent, quibus nec privatae feriae sint familiae eius, qui mortuus est.

*Sepulturae.*] Incipit autem esse *sepulchrum*, ex quo iniecta gleba in os mortui est.

*De Aphricano.*] Primus e Patritiis Cornelus igne voluit cremari.

*Religiosa iura.*] Quae quidem iura traduntur a Pontificibus.

*Porcam.*] Porca Cereri & Telluri suscipiebatur ei qui familiam funestam haberet.

## IN CAPVT VICESIMVM TERTIVM.

*In legibus.*] Legibus civilibus, ius sepulchrorum; pontificiis vero religio continetur.

*Fabritius.*] Qui de Samnitibus & Pyrrho triumphavit.

*Sepulchrum.*] Sepulchrum privatum est, gentis enim est.

*Collinam.*] Porta Collina erat inter portam Collatinam & Catulariam.

*Aedis huius.*] Tempia, delubra, aedes, basilica, theatra, fori, circi, loca sunt publica.

*Minuendi.*] Graeca phrasid: deest enim *causa*.  
*Carmen.*] *Carmina* dicuntur verba omnia certa & solennia.

*Aelius.*] Sex. Aelius leges duodecim tabularum interpretabatur.

## IN CAPVT VICESIMVM QVARTVM.

*Cadaveris.*] Vngebatur cadaver a polincto-ribus.

*Circumpotatio.*] Convivium quod a propinquis in funere celebratur, *circumpotatio* vocatur.

*Longae.*] *Longas coronas* vocat, quas PLINIVS *lemniscatas*. Vide PLINIVS *cap. 3. lib. 21.*

*Acerrae.*] *Acerrae*, vasa sunt in quibus fertur thus.

*Laudis ornamenta.*] Variâ genera coronarum erant, de quibus vide GELLIVM.

*Lectique.*] In funeribus lecti praeferebantur; vide PLVTARCHVM in *vita Syllae*.

*Aurum.*] Thesauros una cum cadaveribus effodiunt.

*Humane.*] Inhumanum enim est, corpus dilacerari.



*Dentes.*] Quibus dentes deciderant, dentibus eburneis, auro iunctis & ligatis utebantur.

*Privatorum.*] *Aedibus privatorum* dixit, quoniam sepulchra non fiebant nisi loco privato.

*Usucapi.*] Res sacrae & religiosae usucapi non possunt nullius enim sunt.

*Norma legis.*] Ea lex demum probanda est, quae cum natura consentit. Duae autem sunt partes iuris scriptum, & consuetudo.

*Honoratorum virorum.*] In funere virorum nobilium ludi dabantur. *Accensi* autem, ut scribit VARRO, magistratum erant ministri, ab acciando dicti, id est, vocando: magistratum autem eorum erant, qui ius vocandi habebant.

*Neniae.*] Graeci *extremum velarōv* sive *vétov* dicunt, unde *Neniae*, Latinum ductum videtur.

## IN CAPVT VICESIMVM QVINTVM.

*Figuli.*] Hic est C. Martius Figulus, qui cum Pub. Scipione Nasica Consul primo fuit. Secundo autem cum L. Cornelio Lentulo.

*Legum scriptoribus.*] Vsque ad Solonem moribus non legibus vixerunt Athenienses.

*Funera.*] Quae Cecropis temporibus, nec sumptuosa erant, nec lamentabilia.

*Decemviri.*] Decemviri decem tantum tabulas attulerunt, quibus postea duae additae sunt; vide POMPONIVM, *lege secunda*, ff. *de origine iuris*.

*Sepulchris.*] Sepulchra sunt gentilicia.

## IN CAPVT VICESIMVM SEXTVM.

*Ceramico.*] *Ceramicum* locus erat, ubi clari viri sepeliebantur, & qui mortui pro patria erant.

*Pittacus.*] Cuius illud fuit, *Nihil nimis,*

*Ante lucem.*] Quoniam cadaver extra urbem fertur, *efferrī* dicitur; nec enim licebat in urbe sepeliri.

*Finivit.*] Lex de rebus praeteritis non fertur.

*Mensam.*] *Mensae* dicuntur lapides quadrati, qui tumulis imponuntur.

*Labellum.*] A labro *labellum*. CICERO ad Terent. *Labellum autem inversum constituebatur.*

*Interpres.*] Hos vocat PLATO *exigitas*.

*Imponi.*] Eriguntur columnae, mensae imponuntur.

## IN CAPVT VICESIMVM SEPTIMVM.

*Ad minam.*] Vt qui maximi census essent, minas quinque impenderent in funus, qui tertii tres, qui secundi duas, qui quarti unam.

*Immortalitate.*] Animam immortalem esse, & unumquemque, animam esse, eamque solutam corpore proficisci ad alios Deos, rationem suorum operum reddituram vult, quod idem lex Atheniensium continebat, idque minime debere bonos viros exhorrescere, malos debere.

*Constitutā religione.*] Ratio haec fuit Cicero ut initio prooemium legis poneret, deinde leges recitaret, postremo suaderet.

## IN LIBRI TERTII

## CAPVT PRIMVM.

**D***ivinum.*] Qui omnibus legibus prooemia praefigit, & praeponebat.

*Elegantia.*] *Elegantia* est artium humanarum & liberalium cognitio, quae a CICERONE *humanitas* dicitur.

*Cum humanitate.*] Nihil enim tam differens, quam ab humanitate gravitas.

*Magistratus.*] Legis enim minister est magistratus, nec imperare potest, nisi quod lex iubet.

*Naturae.*] Lex aliud nil est, quam ius, & conditio naturae.

*Domus.*] E multis domibus constat civitas, e multis civitatibus gens, e multis gentibus hominum genus univrsum.

## IN CAPVT SECVNDVM.

*Regibus.*] Primum imperium regium fuit.

*Iustissimos.*] Reges a populo creabantur.

Iustitia autem facit, ut rex quae iusta sunt, facere velit: sapientia, ut intelligat, quae iusta sunt.

*Prodebat.*] Non placuit autem propter metum tyrannidis.

*Regia.*] Qui rege parent, semper uni parent, quoniam rex perpetuus est magistratus.

*Bene imperat.*] Nemo bene imperat, qui aliquando non paruerit.

*Brevi tempore.*] Magistratus enim sempiterni non sunt.

*Colant.*] Ita enim fiet, ut magistratibus facilius pareant.

## IN CAPVT TERTIVM.

*Iusta.*] Iusta imperia sunt, quae legibus mandantur, *hōc* autem *cap.* tolluntur ordinariae potestates, quales sunt perpetuae Dictaturae.

*Mulcta.*] *Mulcta* pecuniaria est, & arbitraria.



*Provocatio.*] Nullum esse volunt leges in Repub. magistratum, a quo provocatio non fit.

*Ab eo.*] Sive Consul sit, sive Praetor, sive subpraetor.

*Minores.*] Minores magistratus sunt Quaestores, Tribuni aeriarii: Aedilitas, primus est patrius magistratus. Tribuni autem quidam in urbe sunt, quidam militares, quoniam & Quaestores.

*Tribuni.*] Imperator creat Tribunos militares.

*Lites.*] Lites minores intelligit, de subselliis enim iudicabant.

*Ollisque.*] Aedilis primus patritius magistratus, sellam enim curulem habet, & iudicia.

*Censores.*] *Censere aevitates*, est distinguere adolescentes a viris, viros a senibus.

*Vectigalia.*] Vectigalia locabantur a Censoribus.

*Mores.*] Censores mores populi notabant.

*Iuris disceptato.*] *Praetorem urbanum* intelligit, qui inter cives ius dicebat; tum autem creati sunt Praetores, cum bellis finitimis Consules evocari solebant. Praetor autem ius civile vel corrigebat, vel supplebat, vel explicabat.

*Tot sunt.*] Praetorum numerus incertus erat, primo enim duo fuerunt, diu sex, postremo ad duodecim creverunt.

*Consules.*] Consules initio iudicabant, ut postea Praetores.

*Ollis salus.*] Salus patriae Consuli suprema lex est, cui pro salute patriae leges licet infringere.

*Decem anni.*] Ne paucorum potentia in libera civitate crescat.

*Annali.*] *Annalis lex*, quae praescribit, quae aetate esse debet is, qui ad petendum magistratum accedit.

*Sinistra.*] Aves sinistrae sunt, quae volant ab Oriente; quae in auguriis prosperae sint, vide *FESTVM POMPEIVM*.

*Servos.*] Magistratus in provinciam servos ducebant, neque in provincia servum emere licebat, nisi in locum demortui.

*Tribuni.*] *TITVS LIVIVS Deca. 1. lib. 3.* *A primis*, inquit, *Tribunis plebis anni decem, post decem Tribuni sunt creati, bini ex singulis classibus, & ut postea crearentur cautum est.*

*Orbam tribunis.*] Ne in Repub. fiat quod aliquando fuit; sublatis enim Tribunis confirmabatur Consulibus potestas.

*Eque his Senatus.*] Senatus ex tribunitiis, aedilitiis, quaestoriis, praetoriis, consularibus constat, ex hisque qui in magistratu sunt.

## IN CAPVT QVARTVM.

*Ad plebem.*] Tribuni plebis universum populum cogere possunt, & convocare.

*Tribunisque.*] *CICERO* in *epistolis ad Atticum* scribit, Hortensium excogitasse, ut fufius Tribunus plebis ferret rogationem de Clodiana religione ex S. C. Ex quo loco intelligere possumus, quod Senatus censuerat, Tribunos plebis solitos ad plebem ferre.

*Loco.*] Quo loco Calendis Ianuariis Consul Senatores rogat, eum ordinem toto anno servat.

*Vis.*] Civitatis statui, qui maxime legibus continetur, nil tam adversatur, quam vis; leges enim contra vim feruntur.

*Maior potestas.*] Multo melius est impediri aliquid, quod honestum est, quam fieri quod fieri non debet.

*Auspicia.*] Magistratus sunt, qui de caelo servant: soli enim hi cum populo agunt.

*Nec plusquam.*] Quae eadem erat sententia *legis Didiae & Caeciliae*, ne quid iunctim ad populum feratur.

*Privatisque.*] Privatis cum populo agere non licebat, nisi data cautione a magistratu.

*Privilegia.*] Iniquum est privilegia ferre, cum omnes legibus teneri debeant.

*In patribus.*] Patres a Censoribus eligebantur.

*Si quis earum.*] Si quis autem per vim quid fecerit, aut pecunias ceperit, aut honoris cupidior sit, & donis populi suffragia eblandiri tentarit, poena afficiatur peccato convenienti.

## IN CAPVT QVINTVM.

*Lex recitata.*] Haec de suo addit *CICERO*. Hactenus enim descriptionem Romanorum magistratum sequutus est.

*Ea pene.*] *Pene* dixit propter legum custodes, quos *Cicero* innovavit.

*In Republica.*] Tria genera Rerump. facit varietas imperiorum.

*Faciendum fuit.*] Quaerenti de optima Repub. differendum quoque est de magistratibus, quibus Respub. continetur.

## IN CAPVT SEXTVM.

*A Stoicis.*] Academici & Peripatetici vitia tractarunt: ab illis enim familiis omnes artes promanarunt.

*Panaetio.*] Hic est *PANAETIVS*, qui *duos lib. de Offic.* scripsit, quem *CICERO* sequutus est.

*Heraclidesque.*] *Heraclea*, urbs Ponti est, alia est in Italia.

*Dicaearchus.*] *Dicaearchus* ex *Messana* fuit Siciliae civitate.

*Umbraculis.*] Metaphora sumpta est a *pugna umbratili*, quae a Graecis *ουραμαχία* dicitur.



## IN CAPVT SEPTIMVM.

*Aliquem.*] Ciceronem intelligit, qui summus philosophus erat, & peritissimus Reip. administrandae.

*Regibus.*] Exactis Regibus Consules Romani crearunt, quibus reliqui magistratus parebant.

*Reges.*] Reges enim facile in tyrannos evadunt.

*Ephori.*] Ephori quinque creati sunt a Theopompo. *Ephori* vero dicuntur a verbo *ἑφορῶν*: erant enim episcopi civitatis.

*Malum.*] Magnum in Repub. malum est, cum plebs imperita plus potest, quam Patres. Patres enim in Repub. sunt velut caput in corpore.

*Temperatio.*] Tribunitia potestas temperatio est iuris consularis.

## IN CAPVT OCTAVVM.

*Reportandum.*] Populo quidem suo praedam, sibi solam virtutem reportare debet.

*Legari.*] Qui mittebantur cum libera legatione, insignia publicorum legatorum habebant.

*Haereditates.*] Homines provinciales Romae patronos habebant, ad quos se applicabant, & a quibus defendebantur, quos haeredes saepe testamento relinquebant.

*Senator.*] Senatoris est Rempub. procurare.

*Genus legationis.*] Senatores tantum legati mittebantur.

*Minime placet.*] Tum quia in provinciis ditescunt, tum quia legem repetundarum timent.

*Rep. nostra.*] Nulla civitas praeter Romanam Tribunos plebis habebat.

*Seditionem.*] Plebs in montem Sacrum secessit ob impotentiam foeneratorum, nec reconciliari Patribus potuit, nisi datis Tribunis plebis qui tum quinque creati sunt.

*Occupatis.*] PISO in *annalibus* scripsit, montem Aventinum a plebe occupatum, quem sequi videtur M. TVLLIVS. LIVIVS tamen scripsit, ob Appii Caeci libidinem intolerandam, plebem in Aventinum secessisse.

## IN CAPVT NONVM.

*Renatus.*] Sublatis Decemviris a Repub. iterum Tribuni plebis creati sunt, per quos aliquot annis res Romanae militiae & domi sunt administratae; author LIVIVS.

*Duodecim tabulis.*] Duodecim tabulas Decemviri attulerunt, quibus de Repub. sublatis creati Tribuni sunt, maiore quam antea potestate, ut ea potestas ex duodecim tabulis oriri videretur.

*Quem enim illae.*] TITVS LIVIVS scribit le-

gem de Patrum plebisque connubio a Tribuno plebis latam, qua lege omnia infima summis paria facta sunt.

*Flaminium.*] C. Flaminius Tribunus plebis legem tulit de agro Gallico & Piceno dividendo.

*C. Curiatius.*] Quod non impetrasset ut sibi decem quos vellet milites eximeret.

*Missilibus.*] Missilibus colligendis, quae a magnis viris ad populum proiciuntur, multae rixae & seditiones oriuntur. *Munera* autem Gracchi, quae in forum proiecit, sunt leges quas tulit, ut plebs commoda augetur: tulit enim legem *de coloniis deducendis*, aliam *de vestibis militibus publice dandis*, *sine stipendiorum diminutione*: de *minoribus* aliam *17. annis ad militiam non cogendis*: aliam *de suffragiis sociorum*, qua Italos & cives pares faciebat, aliam *frumentariam de annona pauperibus assignanda*.

*Statu nostro.*] C. Caesar Clodium Tribunum plebis in Ciceronem incitavit.

*Domo.*] Vna familia plures domos continet.

*Nisi cui.*] Clodius Tribunus plebis fieri non potuit, quoniam eius adoptio nulla fuit tam iure civili quam Pontificio; vide *orat. pro domo sua*.

*Multorum.*] Caesarem, Crassum & Pompeium describit.

*Iniuriae.*] Lu. Sylla Tribunus plebis legis ferendae potestatem ademit, atque ita iniuriae faciendae potestatem ademit.

*Pompeiumque.*] Pompeius ex Hispaniis reversus tribunitiam potestatem populo restituit.

*Est iniqua.*] Accusandae res non sunt, in quibus plus boni quam mali est.

## IN CAPVT DECIMVM.

*Potestatem.*] Videtur enim ista potestate minui Patrum autoritas. Tribuni autem Coss. oppositi sunt, ne de regno occupando Consules cogitarent, & ne Patres in plebem tyrannidem exercerent.

*Collegium.*] Qui sunt eiusdem collegii, eiusdem sunt potestatis.

*Tiberium.*] Tiberius Gracchus Cn. Octavio collegae intercedenti pertinacius, magistratum abrogavit.

*Tenuiores.*] Salus civitatis concordia tenuiorum & principum est posita.

*Plebs.*] Propter potentiam, plebi senatorius ordo erat invisus, sed datis Tribunis plebis sedavit invidiam.

*Aut plebi.*] Plebi autem libertas dari non videtur, nisi suos Tribunos habeat.

## IN CAPVT VNDECIMVM.

*Cum tribunatu.*] Is qui plebis commoda oppugnat, cum tribunitia potestate contendit. Itaque



Itaque tum Cicero cum Clodio inimico non cum Tribuno contendit: nec enim erat contentio ex commodis plebis.

*Et servitia.]* Clodius legem tulit suffragantibus perditis hominibus, foro bonis vacuo.

*Pro salute.]* Intelligit supplicium sumptum de coniuratis.

*Lenatem.]* Popilius Lenas Praetor, interfecto Tiberio Graccho, eius amicos urbe expulit, qui postea C. Gracchi legationem metuens sponte in exilium abiit. Restitutus autem est, ut scribit CICERO in *Bruto*, rogatione Bestiae.

*Consolarenturque.]* Philosophiae est calamitosos consolari.

*Quid esset optimum.]* In Repub. non semper optima constituenda sunt, sed necessaria.

*Dici ad modum.]* Ad modum dicere, est non esse sermonem infinitum. Cogitur autem esse infinitus is qui dicit, si is apud quem dicit, nihil assentiatur.

## IN CAPVT DVODECIMVM.

*Omnibus magistratibus.]* Magistratibus dare auspicia, est dare potestatem de caelo servandi. Signa autem e caelo servata ad Augurem deferbant, qui ex signis interpretabatur quae esset Deorum voluntas.

*Ad quam provocaretur.]* Non provocatur nisi ad eum qui iudicare potest: quare si uni magistratui potestas iudicandi daretur, non esset provocatio a magistratu ad magistratum.

*Popularem sane neminem.]* Cicero hac sua lege cooptationem Censoriam tollit, cum antea Senatores a Consulibus legi solerent. Tollitur autem cooptatio Censoria, quoniam qui magistratum cepit, is senator necessario est, nec praeter hos quisquam.

*Is ordo.]* Senatum vitio carere, est nil superbe, nil crudeliter, nil avarae decernere.

*Censorem.]* Censor si quid in senatu vitii est tollit, & probrosum senatorem ordine movet.

## IN CAPVT DECIMVM TERTIVM &amp;c.

*Educatione.]* Seminandi itaque sunt mores in Republica.

*Sic emendari.]* Moribus bonis Respu. stat. Bonos autem mores esse necessè est, in qua boni principes sunt.

*L. Lucullus.]* De Lucullo vide *prooemium lib. 4. disputationum Tusculan.* Mortuus autem L. Lucullus erat, cum haec Cicero scribebat.

*Libertinum.]* Libertini sunt, qui e libertis oriundi sunt: interim tamen liberti dicuntur libertini.

*Publicis.]* Publica ea sunt quae civitatum sunt. *Sacra* autem signa sunt, quae e phanis, & templis, & sacriis erepta sunt.

*Principum.]* Principes multorum damno & malo peccant.

*Qui musicorum.]* Hac de re vide PLATONEM *lib. 2. de Legibus.*

*Ego.]* Vtrumque Platonicum est.

*Exemplo.]* Multi enim existunt principum imitatores.

*De suffragiis.]* Suffragia aliud nil sunt quam populi sententiae. Suffragia quae per tabulam feruntur, libera sunt.

*Vocis.]* Multo plures populus voce, quam tabella condemnavit.

*L. Cassio.]* Tribuno plebis, Lepido & Mancino *coff.* Author M. TVLLIVS in *Bruto*. *L. Cassius popularis fuit, non liberalitate, sed ipsa tristitia & severitate.*

*Carbonis.]* L. Carbo cum causam suam iudicibus permisisset, morte voluntaria se ab eorum sententiis vindicavit.

*Simpulo.]* Vas est cyatho simile, in quo vinum libabant mulieres in sacrificio.

*Lex Maria.]* Pontes ideo angustos fecit *lex Maria*, ne quis subire posset ad populum sollicitandum.

*Species.]* Vera enim esset libertas, si populus non cogereetur tabellam suffragii optimo cuique ostendere.

*Cum populo agendi.]* *Cum populo agere*, est rogationem ad populum referre. Ius autem est *Coff.* Dictatoribus, Magistris equitum, Interrogibus, Tribunis plebis.

*Actor.]* Quare si qua seditio oritur, culpa est actoris.

*Non ad actorem.]* Actor, qui ad populum dicit, ad populi voluntatem dicit. Senator autem in dicenda sententia non quid auditori gratum sit, sed quid Reipub. maxime salutare, spectare debet.

*Spectante Senatu.]* Vt alio tempore senatusconsultum fieri possit ex Senatus voluntate.

*Cato est.]* Ex hoc loco colligimus, hos libros scriptos ante mortem Catonis, & proinde ante mortem Caesaris.

*Habeat quos.]* Haec est scientia senatoria.

*Nihil minus.]* Nihil minus hominis est quam vi uti, neque ferarum quicquam magis proprium. Hominis autem proprium est ratione uti, quae lex est.

*Parere.]* Videntur hic verba legis deesse, quae sic habent, *Par maiorve potestas plus valere.*

*Salutaris civis.]* *Salutaris* hoc loco est, qui salutem dat.

F I N I S.

P P P P P

A N.







GVILLELMO BELLAIO LANGEO,  
TORINI PRO REGE ET REGII ORDINIS  
EQUITE MERITISSIMO,  
ANTONIVS GOVEANVS S.  
**ANDRIA TERENTII**

A B

**ANTONIO GOVEANO**

*DENVO CASTIGATA, LOCIS DIFFICILIORIBVS  
EXPLICATA, SCENIS, ACTIBVS, VERSIBVS  
DISTINCTA, ARGVMENTISQVE SCENA-  
RVM SINGVLARVM ILLUSTRATA.*

*Accessit eiusdem GOVEANI in omnes TERENTII*

*Comoedias praefatio ad*

**GVILLELMVM BELLAIVM  
LANGEVM,**

*Commentationesque quatuor longe utilissimae: de Terentianis  
versibus una, de Ludis Megalensibus altera, tertia  
de Tibiis paribus & imparibus, de Canticis  
& diverbiis quarta.*



ANDRIA TERTIUM

A B

ANTONIO GOVEANO

DE VNO CASTIGATA, LOCIS DIFFICILIORIBUS  
EXPLICATA, SCENIS, ACTIBUS, VERSIBUS  
DISTINCTA, ARGUMENTISQUE SCENAE  
RVM SINGULARVM ILLUSTRATA.

Accessit eisdem GOVEANI in omnes TERTIUM  
Comediae praefatio ad

GUILLELMVM BELLAVM  
LANGVAM.

Commentationesque quatuor longe utilissimae: de Terentianis  
versibus una, de Ludis Megalensibus altera, tertio  
de Tibiis paribus & imparibus, de Cantibus  
& diversis quatuor.



# GVILLELMO BELLAIO LANGEO,

TAVRINI PRO REGE ET REGII ORDINIS

EQVITI MERITISSIMO,

ANTONIUS GOVEANVS S.



VM mihi esset id cum multis commune, GVILLELME BELLAIO, ut divinas virtutes tuas in administrando utroque tempore, & bellorum & pacis, mecum ipse tacitus admirarer, teque e nostra memoria unum maxime animo meo colerem & observarem, optavi semper facultatem eiusmodi aliquam mihi aliquando dari, ut iudicii mei de singulari tua virtute, observantiaeque erga te nostrae tibi dare ipse possem aliquam significationem. Cuius rei etsi maturum tempus nondum venisse video, nec ad id quod cupiebam satis accommodatum, cum ego perficere nihil dum possim, & te nihil nisi perfectum delectet, existimavi tamen, cum ego quantum vires meae sufficerent, contendissem, idque effecissem quod possem maximum atque dignissimum, nihil te melius quidquam pro tua humanitate a nostra hac aetate requisiturum. Nam cum literis, quarum a puero studiis me dedi, tradita a veteribus multa essent, quae vix intelligendo, nondum imitando assequeremur, essetque intelligere prius necesse quae velles imitari, intelligere autem sane nemo corrupta posset atque depravata, operam digniorem nullam quam quidem ego navare potuissem, nullam ad antiquitatis, vel cognitionem, vel imitationem tam putavi necessariam, quam eam quae in veterum scriptis recensendis, recognoscendisque poneretur. Quod ut est, quoque me verto, arduum atque difficile, tum in TERENCE Comoediis velle id quidem plenum est bonae voluntatis, praestare vero, non nisi maioris cuiusdam ingenii, atque eius eruditionis, quam non recipit haec aetas, post eos praesertim viros, qui in ea re non leviter, neque infeliciter laborarunt. Tantae difficultatis, cum mecum saepe ipse quaererem, causas has reperiebam: Primum quia sermo pene esset oratio omnis Comitorum, qui se corrumpi facile pateretur: tum quia versu conclusa, in quo intelligi vix numerus posset, atque mensura, adeo varia est atque multiplex: quae nisi notaretur diligenter, detrahi multa possent, addi quoque impune multa, loco plurima moveri. Illud etiam praeterea, quod tanta in exemplaribus esset varietas, tam nulla fides. Postremum erat, scriptorem hunc multis retro seculis a librariis fuisse depravatum, ipsius etiam Cicero-

nis (ut opinio mea est) temporibus: utebarque ad eam rem CICERONIS testimonio: qui Q. Fratri, cum is ab eo petisset, uti suam bibliothecam suppleret, libros commutaret, Latinos compararet, iis verbis respondit, *De libris Tyrannio est cessator. Chrysippo dicam: sed res operosa est, & hominis perdiligentis. Sentio ipse qui in summo studio nihil assequor. De Latinis vero quo me vertam nescio, ita mendose & scribuntur & veneunt; sed tamen quod fieri poterit non negligam.* Cuius rei indicium inde quoque sumi potest, quod ab ipso interim CICERONE Terentiani versus multi corrupte depravateque citantur: qualis is est in illa ad Lentulum epistola longe optima,

*Intromittamus Comestatum, tu Pamphilum.* ubi. *Comestatum intromittamus* scripsisse TERENCE ratio indicat Senarii. Ac eodem loco post,

*Par pari referto quod eam mordeat:* ubi, ut id taceam, quod pro *Mordat, Remordeat* reposuit felicissime AEMYLIVS FERRETVS, parens alter meus, dux unus, & author vitae meae: (gratiorem tibi multo esse scio AEMYLI pietatis erga te meae, quam doctrinae tuae meam testificationem) id inquam ut taceam, scribendum quoque erat, *Referto par pari.* Neque enim Trocheum, quem *Chorem* CICERO vocat, versus ii recipiunt, ut neque Trochaici versus Iambum, pedem Trocheo contrarium maxime. Tale illud est in CICERONIS ad Cornificium epistola, *Nunc hic dies aliam vitam defert, alios mores postulat:* ubi scribi debere, *aliam vitam affert* versus mensura aperte ostendit. Tale illud ad Atticum de Stathio Q. fratris servo manumisso, insciente se, *Nec meum imperium: ac mitto imperium, non similitatem meam revereri saltem?* Vbi legendum certe est versu ita postulante, *Age omitto imperium.* Tale illud in oratione pro M. Caelio, *Fores effregit? restituentur, rescidit Vestem? resarciatur;* ubi scribi debet, *Discidit.* Tale illud epistolarum ad Atticum lib. septimo epistola, cuius est initium, ad VIII. *Idus Decembres, Heri aliquot adolescentuli coimus in Piraeum:* ubi in Piraeo legi postulat sententia: Nam cum ex Piraeo veniret in urbem Antipho, ut Chaeream parandae coenae praefectum quaereret, narrat in Piraeo superiore die convenisse inter aliquot ex iis adolescentibus, qui ibi custodiae causa erant, ut postridie



die de symbolis coenarent. Tale illud eadem epistola; Mercator hoc addebat Captam e Sunio: ubi reponi debet pro Captam, Abreptam. Afferrem eius generis permulta, si te docerem, non monerem. Iam ANONIO MARCELLO, FESTO POMPEIO, PRISCIANO, cuius temporibus versu ne scripsisset TERENCEIVS non satis constabat, citantur aliter multa quam quemadmodum scripta esse a TERENCEIO sit verisimile. Ne longius abeas, est in *Andriae scena prima* hic versus, *Sine invidia laudem invenias & amicos pares*: In quo suas nescio quas collisiones comminiscitur PRISCIANVS: cum, si legas, *sine invidia invenias laudem, & amicos pares*; versui possis consulere, sine ullo aut sententiae, aut venustatis detrimento. Equidem nunquam existimavi sua Poëtas libertate tam uti libenter, quam necessario. Haec cum & ipsa die, & magnorum virorum autoritatibus confirmata sint, non dubito aetate praesertim tam iniqua praeclaris omnibus conatibus, quin nos qui iis de rebus aliter sentimus, accuratiusque aliquid afferre in medium cogitamus, antiquitatem sero, neque tamen non temere reprehendere dicamur. Quae nos ineptorum voces, iniquorum dicere volebam, deterrere a proposito potuissent, si magis me laudis meae quam multorum utilitatis tangeret cogitatio, aut si praeter bonam voluntatem nihil ad rem tantam afferre potuissem. At cum & infinita prope nos primi, quicumque tandem sumus, & quantulicunque sumus, quae egerent castigatione, deprehenderimus, & ab aliis animadversa, neque diu minus, neque minus fortasse diligenter consideravimus, nostrumque esse aliquod potuerit iis de rebus iudicium, rei interesse literariae putavi, id omnibus, & qui hodie scriptorem hunc attingunt, & qui post nos lecturi sunt, per me fieri quam notissimum. Iudicii autem nostri causas, erit fortasse, cum explicabimus: quas in praesentia omnes persequi, ut quam infiniti esset laboris taceam, hominis certe esset minus, quam ego sim, occupati: iurare tantum hoc tempore liquido possumus, nihil nos nisi versus, elegantiae, sententiae convitio immutasse: restituisse quaedam, ut ab iis autoribus, de quibus antea loquebamur citata reperiebamus. Quare illud erat in *Andriae act. 1. Sc. 11. Nunc haec dies aliam vitam affert*; ubi nos ex CICERONIS ad Cornificium epistola, *Nunc hic dies* reposuimus; quo in genere usum semper eo nomine video TERENCEIVM: sic enim eiusdem fabulae *Scena prima, Hic nuptiis dictus est dies*; sic rursus *act. 1. Scena quarta, Diem quia olim in hunc sunt constitutae nuptiae*; sic *actu. 11. Dies hic mi ut sit sat vereor ad agendum*; sic in *Eunucho, O festus dies hominis*, & in *Adelphis, Hilarum hunc sumamus diem*, sic rursus in *Eunucho, In hunc diem ut de symbolis essemus*: unde est quoque, *Hodie, quasi, Hoc die*. Tale illud quoque *Eu-*

*nuchi Scena ultima, Hunc ego comedendum & deridendum vobis propino*, ubi nos ex NONIO scribi iussimus ab AEMYLIO admoniti, *Hunc comedendum vobis & bibendum propino*, Trochaico id pene efflagitante: Ex quo eodem autore illa praeterea sunt quae nos quoque AEMYLIO, sicuti omnia, debemus, *Illi se subduces scio, Nam ubi forte satias cepit, commuto locum, Quanquam haec inter nos nupera notitia admodum est, Nunquam tam mane domo egredior, neque vesperi domum revertor, Nam usque dum ille vitam illam colet, Consilio omnia prius experiri quam armis sapientem decet: cum antea iis locis sic legeretur, Illinc se subduces scio, Vbi satias cepit fieri commuto locum, Quanquam haec inter nos nuper notitia admodum est, Nunquam tam mane egredior neque tam vesperi Domum revertor, Nam usque dum ille vitam illam incolet, Omnia prius experiri quam armis sapientem decet mutilato foedissime Trochaico, ut taceam de sententia, quae nulla ex iis verbis colligi poterat. Iam vero codicibus ita usi sumus plurimis, ut plus semper apud nos valuerit iudicii ratio, quam librarii manus indocta atque temeraria. Atque ut animo praesumere possis, quid de toto hoc labore nostro debeas iudicare, referam paucis quae in *Andriae Prologo*, quae in *Scena prima* corrupte legi animadverterim.*

*Vbi in Prologo legebatur,*

*Id isti vituperant factum atque in eo disputant.*

Non constare versum notarat ERASMVS, nisi in pronomine ISTI, litera secunda elideretur, atque ita fieret Anapaestus. Huiusmodi nos elisiones tam duras, ut dicam levissime, non agnoscimus in re minime necessaria. Scripsisse TERENCEIVM. *Isti id vituperant*, & versus clamat, & codices nonnulli testantur. Tale illud est quod idem notarat in *Eunuchi act. 11. Scena 11. vers. illo. Qui habet salem,*

*Quod in te est*; extremam scilicet in QVOD elidi literam; ubi QVI legi debere, & versus, & ipsa Latinitas ostendunt.

Vbi, *Verum in scribendis prologis operam abutitur. Non qui argumentum narret, sed qui malevoli Veteris Poëtae maledictis respondeat*, Nemo non videt dictionum ordinem perturbatum: legendum puto: *Qui non argumentum narret, sed malevoli*: nisi hoc malis, *Qui argumentum non narret, sed qui malevoli*: quod sentis paulo esse quam illud, duriusculum.

Vbi, *Vt pernoscatis & quid spei sit reliquum.*

Nos scriptum fuisse dicimus, *Vt pernoscat is ecquid spei sit reliquum*: atque aliter scripsisse TERENCEIVM, persuaderi non potest. Id porro locus habet sententiae, Fabulam vos cognoscite, ut & Poëta perspicere possit, quid sibi a vobis spei relinquatur de Comoediis, quas in posterum scribet: explodendae ne vobis prius sint quam spectandae atque cognoscendae. Praeter quem unum locum, si alium nullum in opere



toto emendassemus, satisfactum & officio nostro, & hominum expectationi erat abunde.

Vbi in prima Scena,

*Propterea quod serviebas liberaliter.*

Nos, *Serviebas*: generis eius sunt *Scibam*, *Nescibam*, *Saevibam*: *Serviebas* non patitur versus.

Vbi, *Sed mihi hoc molestum est, nam istaec commemoratio.*

*Quasi exprobratio est immemoris beneficii.* Nos, *Sed mihi hoc molestum est, nam istaec commemoratio est, Quasi exprobratio immemoris beneficii.* MI, postulat versus: eo & multis aliis locis utitur T E R E N T I V S, usus antea fuerat P L A V T V S, usi sunt postea C I C E R O, V I R G I L I V S, & H O R A T I V S. E S T, quod in prioris versus sine posuerimus, fecit series verborum naturalis: ita *Beneficii* syllabarum nihil detrahetur.

Vbi, *Ita faciam. Hoc primum in hac re praedico tibi.*

Nos, *In re hac*: quod aliter stare non possit versus.

Vbi, *Liberius vivendi fuit potestas: nam antea.* ut versus ratio habeatur, elidi E R A S M V S in V I V E N D I, V, voluit unum, fierique F V I T, monosyllabum. Nos ut esse F V I T, syllabam unam apud hunc autorem mille locis scimus, ita illas in *Vivendi*, elisiones (pene scripseram illusiones) illas inquam elisiones non agnoscimus: cum praesertim tam esse ingeniosum nihil sit necesse. Scripsisse T E R E N T I V M putamus, *Liberius vivendi potestas fuit: nam antea*; ut *Vivendi* postrema brevi dicatur, quemadmodum & *Abi* apud hunc autorem multis locis, Et *Mi*; in *And. act. 1. Scena II.* Atque ita nihil de orationis venustate quidquam deperdetur. Vbi, *Nunquam praeponens se illis, ita ut facillime.* Nos, *Praeponens se aliis nunquam*: ita & versus vult, & orationis efflagitat Venustas. A L I I S esse legendum, & codex me monuit pervetustus, & aliis quoque video placuisse: ut non modo ad eos, quibus cum Pamphilus una erat, sed ad omnes homines referri possit, ut & id quod proxime praecedit; *Adversus nemini.*

Vbi, *Sine invidia laudem invenias, & amicos pares.*

Quod & P R I S C I A N I, & nostrum esset iudicium, antea dicebamus: a quo si dissentimus, cogitare nemo debet; qui aut ille fuerit, aut nos simus: sed quid quisque dicat, quid in iudicando sit sequutus.

Vbi, *Nam qui cum ingeniis conflictatur eiusmodi.*

Nos, *Nam qui cum ingeniis conflictat eiusmodi.* Ita in *Phormione*, *Nunquam usus venit, ut cum huiusmodi conflictares malo.* Probari enim mihi non potest, fecisse hic T E R E N T I V M eiusmodi trisyllabum, quod quinque esse syllabarum concessa vocalium divisione solet. Non dissimile valde est, nisi quod pudendum magis,

quod idem notavit in illo *Actus tertiæ Scenae secundae*, *Non imperabat coram, quid opus factio esset puerperae*, Esse P V E R P E R A E trisyllabum: cum, si fiat trisyllabum, versus stare Octonarius Iambicus non possit.

Vbi, *Effertur, imus. Interea inter mulieres.*

*Quae ibi aderant, forte unam aspicio adolescentulam.* Nos, & quod ita venustior sit oratio, & quod versus impediri se tot pedibus pene clamet, legendum putavimus, *Quae ibi aderant, aspicio forte adolescentulam.* Aliter citatur ab interprete, non nego: at aliter quoque alia, nec ea quidem pauca; quae corrupta negare nemo possit. Illud sane argumento esse potest; quam ille parum versus horum rationem tenuerit, quod cum invenire non posset, cur esset illud V N A M additum a Poëta, non consideravit, num a versu quoque respueretur, quod non admitti a sententia videret.

Vbi *perculsit inlico animum, atque hoc illud est.* Nos *perculsit inlico animum.* Sic C I C E R O *epistolarum ad Atticum libro quarto epistola* cuius initium est, *Multa me in epistola tua, Audiivi, inquit, ex Gavio hoc Firmano Romae esse hominem, & fuisse assiduum: perculsit animum.* Illud enim ad magnas perturbationes & consternationes accommodatur. Sic C I C E R O *pro M. Marcello, quos amisimus cives, eos Martis vis percussit.* Idem *pro Milone, Quid vultu extimulistis? quoniam ille modo vos vivus affecerat, qui mortuus inani cogitatione percussit.* Idem *ad Plancum, Percussas Antonii copias & dissipatas.* Ita T E R E N T I V S in *Eunucho, Perculeris tu iam me.*

Vbi, *Pro uxore habere hanc peregrinam: ego illud sedulo.*

*Negare factum.* Vt Senarius constet, corripi in I L L V D, literae detractioe priorem vult E R A S M V S. Nos legendum putamus, *Pro uxore habere hanc peregrinam, illi ego sedulo Negare factum.* Atque ita scripsisse T E R E N T I V M, etsi versus ratio non diceret, ex eo certe quod sequitur, *Ille instat factum*, iudicare tu quidem posses.

Vbi, *Satis vehemens causa ad obiurgandum so. qui cedo?*

*Sat vehemens* legendum putabamus, ne *vehemens* fieret dissyllabum: quod cum tamen fieri posse videremus, egere locus notatione, non castigatione visus est.

Vbi, *Ea primum ab illo est animadvertenda iniuria.*

Nos, ita versu postulante, neque minore tamen venustate, *Ea primum ab illo animadvertenda iniuria est.* In iis vides omnibus admonitos nos a versu, sequutos venustatem, non turbasse sententiam: quorum per se quodque tantum apud eruditos valere debet, ut contra omnium exemplarium testimonia possit ad emendandum locum sufficere. Infinita sunt quorum nos versus, quorum nos admonuit venustas: prae-



praetereunda itaque sunt. Quaedam tantum ex iis recensebo, in quibus sim secutus sententiam.

Fecit sententia, ut illud Chaereae in *Eunuchō*, *Occidi*. *Neque virgo est usquam, nec ego qui e conspectu illam amisi meo. Vbi quaeram? ubi investigem, quem perconter? quam insistam viam, Incertus sum; una haec spes est, ubi ubi est, diu coelari non potest: ita legeremus, occidi.* *Neque virgo est usquam, neque ego, qui e conspectu illam amisi meo, Vbi quaeram, ubi investigem, quem perconter, quam insistam viam, Certus sum; una haec spes est, ubi ubi est, diu coelari non potest.* Angitur nimirum animo Chaerea & se virginem e conspectu perdidisse, neque scire tamen qua ad eam ratione rursus perveniret. Et certe; quod pene praeterieram, stare Iambicus Octonarius, si legas *Incertus sum*, non potest. Operae pretium est interpretis audire in eum locum argutias. Vbi in *Adelphis*, act. III. *Scena quarta, Coram ipso cedo: nos, Coram ipsum cedo: hoc est eum coram venire iube, negare certe praesente me non audebit.* Dicunt hodie Itali *Damelo enance*. In *Andriae* act. I. Sc. II. ita legebatur. *Ne temere facias, neque tu haud dicas, tibi non praedictum, cave.* In eum versum interpretum unus, *Duas negationes unam facere vult affirmationem, tres negationes pro una sumi negatione, ut hoc loco, Neque, Haud, Non.* Tertiam alter negationem vult redundare. Vterque testis est, alios pro *HAUD*, legisse *HOC*: quam ego lectionem veriosem puto, & *TERENTIO* digniorem. Paulo ante ita *Simo*, *Quid hoc? Intellextin? an nondum etiam ne hoc quidem?* Quod cum & postulet sententia, neque desit etiam codicis testimonium, qui *Haud* malunt tamen, facere mihi videntur (ut *TERENTII* verbis utar) nae intelligendo, ut nihil intelligant: qui, *Neve tu id dicas: pro, Neque tu haud dicas* reposuit, quid ferre posset Octonarius Iambicus, vidit parum. At neque hoc tantum loco pro *HOC*, *HAUD*, scriptum flagitiose animadverti. In *Hecyrae* Act. III. Sc. I. ita *Parmeno*, *Haud hercle quidem parum est.* Nam cum singulari aliqua iniuria inter uxorem & matrem iram crederet Pamphilus excitatam, quae tam durarat diu, animoque misere ob eam causam torqueretur, velletque hero *Parmeno* consolationem aliquam adhibere, monet nihil id esse, quod tam grave ille existimet: subiicitque, *Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iras gerunt? Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus, infirmum gerunt: itidem mulieres sunt ferme, ut pueri, levi sententia.* *Fortasse unum aliquod verbum inter eas hanc iram conciverit.* Incredibile est, quam multa generis huius, quoque me verti, occurrant. Non discedam ab eo loco: totumque adeo referam, quo facilius res teneri possit.

*Sed magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno,*  
*Vnde ira inter eas intercessit, quae tam permansit diu.*  
 PAR. *Hoc hercle quidem parum est; sis vero veram rationem exequi;*  
*Non maximas, quae maximae sunt interdum irae, iniurias*  
*Faciunt. Nam saepe est quibus in rebus alius ne iratus quidem est,*  
*Cum de eadem causa est iracundus factus inimicissimus.*  
*Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iras gerunt?*  
*Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.*  
*Itidem mulieres sunt ferme ut pueri, levi sententia.*  
*Fortasse unum aliquod verbum inter eas hanc iram conciverit:*  
 Quo in loco legendum puto,  
*Non maximae, quae maximae sunt interdum irae, iniuriae*  
*Faciunt.*

Nam cum ex irae diuturnitate iniuriae magnitudinem Pamphilus colligeret, *Levi* (inquit *Parmeno*) *duceris Here argumento: rationemque si quaeris, maximae interdum irae a non maximis iniuriis enascuntur. Vides iracundis hominibus id accidere, ut inimicissimi fiant iis de causis, quae alios homines ne leviter quidem possent commovere.* Et quia in *Hecyram* me conieci, nolo videri frustra venisse: ita post paulo eum locum, in quo eram, scriptum reperiebam,  
*Non usus factō est mihi nunc intro sequi:*  
*Nam invisos omnes nos esse illis sentio.*  
*Here nemo voluit Sostratam intromittere.*  
*Si forte morbus amplior factus fiet,*  
*Quod sane nollem, maxime Heri causa mei,*  
*Servom illico introiisse dicent Sostratae,*  
*Aliquid tulisse comminiscuntur mali*  
*Capiti atque aetati illorum, morbus qui actu' sit.*  
 Verba sunt *Parmenonis*. Ego *capiti atque saluti illorum* scripsisse *TERENTIVM* puto, cum inter eas voces non levis affinitas sit, & alteram sententia requirat, & a *CICERONE* locis sint infinitis haec duo coniuncta.

Vnum praeterea locum si tibi indicaro, ab *Hecyra* discedam. In act. II. *Scena prima*, ita legebatur,

*An quia ruri esse crebro soleo, nescire arbitramini,*  
*Quo quisque pacto hic vitam vestrorum exigat?*  
*Multo melius hic quae fiunt, quam illic ubi sum assidue, scio.*  
*Id eo, quia uti vos mihi domi eritis, perinde ego ero fama foris.*

Verba sunt *Lachetis* senis: quo in loco *FAMA* redundare mihi videtur. Causam enim adfert *Laches*, quare tam bene sciret, quae domi in



in urbe gererentur, cum esset ipse ruri: id eo, inquit, facio, quia ut vos res meas domi administrabitis, ut mihi laborabitis, ut mihi obsequimini, ita ego vobis ero ruri, hoc est, vobis defieri nihil patiar, benigneque omnia praebebo, si mecum vos benevolentia officiisque certetis: quod si contra a vobis fieri sensero, sinam & egere, & algere, & esurire, nihilque rure ad vos deferri patiar. Vnde huc tamen ea dictio irrepserit, non dissimulabo. Sequitur.

*Iam pridem equidem audivi cepisse odium tui Philumenam.*

Vbi cum notatum esset a fama argumentari Lachetem, FAMA in proximum superiorem versum irrepserit. Haec haecenus fuisse excusa, explicata, omnium qui literas tractant, iudicio approbata!

QVID ego nunc dicam, easdem dictiones corruptas in hoc autore fere fuisse, atque depravatas? quot locis pro *Suspectio*, *Suspitio*: pro *Ingratiis*, *Ingratus*: pro *Gratiis*, *Gratis*: pro *Aecere*, *Et certe*, pro *Volupe Voluptas* scriptum erat? Quid ego querar verba flagitiose adeo transposita interim fuisse, ut tota oratio misere perturbaretur? Quid omissos librariorum incuria totos versus, sine quibus neque stare sententia poterat, neque versuum superiorum mensura? Nihil horum mentior: scriptum sic erat in *Prologo Heautont*.

*Ne cui sit vestrum mirum, cur partes seni*

*Poeta dederit, quae sunt adolescentium,*

*Id primum dicam, deinde quod veni eloquar.*

Vbi erat legendum, *Id deinde dicam, primum quod veni eloquar.* Notatus a nobis hic locus est, & explicatus suo tempore. Scriptum sic erat in *Phormionis Act. III. Sec. III.*

*Vt te quidem omnes Di, Deaque superi, inferi*

*Malis exemplis perdant; hem si quid velis.*

*Huic mandes, quod quidem recte curatum velis.*

Qui versus postremus cum mensuram excederet, neque tamen posse detrahi quidquam viderem, neque absoluta etiam plane esse videretur perfectaue sententia, incido in codicem, non illum quidem, qui sua autoritate fidem facere debuerit, sed qui monere tamen dubitantem potuerit. In eo sic scriptum erat,

*Vt te quidem omnes Di, Deaque superi, inferi*

*Malis exemplis perdant; hem si, quid velis*

*Huic mandes, quod recte curatum quidem*

*Velis, ad scopulum qui te e tranquillo inferat.*

Quem versus Terentianum esse negare nemo possit. Idem eiusdem fabulae act. v. *Scena sexta*, flagitium deprehendimus, ubi haec deerant Trochaico.

*Curialis vernula est qui me vocat.*

Quae verba suo loco & TERENTII esse ostendimus, & quid haberent sententiae declaravimus.

SI QVAE generis sunt huius vellem omnia recensere, volumen a me ingens haberēs, non

epistolam. Iam de versuum genere, distinctione pueret dicere, quam aliter sentimus nos quam ii, qui ante nos fuerunt, nisi ad te scriberem, qui iis de rebus iudicare omnium optime potes.

Initium est *Scenae quintae Actus primi, in Andria*,

P. *Hocne est humanum factum aut inceptum? hoccine officium patris?*

My. *Quid illud est? P. Pro Deum atque hominum fidem, quid est, si non haec contumelia est?*

*Vxorem decrevat dare sese mihi hodie: nonne oportuit*

*Praescisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?*

M. *Miseram me, quod verbum audio?*

P. *Quid Chremes, qui denegarat se commissurum mihi*

*Gnatam suam uxorem? id mutavit, quia me immutatum videt.*

*Itane obstinate operam dat, ut me a Glycerio miserum abstrahat?*

*Quod si fit, pereo funditus.*

*Adeon' hominem esse invenustum, aut infelicem quenquam, ut ego sum?*

*Pro Deum atque hominum fidem, nullone ego*

*Chremetis pacto adfinitatem effugere poterō? quot modis*

*Contemptus, spretus? facta transacta omnia; hem*

*Repudiatus repeto. Quam ob rem, nisi id est quod suspicor;*

*Aliquid monstri alunt; ea quoniam nemini obtrudi potest,*

*Itur ad me. M. oratio haec me miseram examinavit metu.*

P. *Nam quid ego dicam de patre? ab*

*Tantam ne rem tam negligenter agere? praeteriens modo.*

Versum primum esse voluit ERASMVVS Iambicum Octonarium iustae mensurae, id enim est quod Graeci dicunt *Acatalecticum*. Secundum octonarium quoque, cui tamen accinatur & adnectatur Monometer, hoc est una, ut Graeci vocant, *Διποδία*: ea autem erit, *Tumelia est*. At non accinatur Iambico octonario, sed Scanzonti: octavus enim pes Spondeus est. Valde mihi praeterea argutum videtur, in eadem dictione & Octonarii finem, & Monometri quaerere initium. Tertium Iambicum Octonarium esse voluit, quod fieri minime potest, cum HODIE, extremam producat: quartum generis eiusdem, Dimitrum quintum, sextum Trochaicum Octonarium Catalecticum, cum priores omnes Iambici sint, neque nisi Iambici sequantur: Octavum octonarium fecit Iambicum, nonum Dimetrum Iambicum, Decimum Octonarium Iambicum, siquidem in *INVENVSTVM*, V, primum elidas, quod quidem, si verba modice transponas, minime est opus: undecimum,



cimum, Dimetrum redundante pede, novum sane, ut dicam levissime, genus versus: hunc qui sequitur octonarium rursus Iambicum, post quem Trimeterum, sequi voluit Trochaicos tres Tetrametros, catalecticos eos quidem: quibus subiunxit Dimetrum Iambicum acatalecticum, cum Dimetri eiusdem esse generis soleant cum iis, quibus fuerint adiecti. Haec si, quemadmodum ERASMVVS vult, ita scripsit TERENCE, mihi certe non est poeta. At neque ita scripsit, neque id nos putare est aequum. Quem locum antequam in eos versus redigo, quibus esse a TERENCE scriptum sit verisimile, notabo quanta sit in exemplaribus varietas, atque incertitudo. In versu primo ubique HOC CINE in aliis exemplaribus reperio; Reperio & FACTV, & INCEPTV, quod a DONATO quoque videmus annotatum. In secundo vetustum exemplar non habet FIDEM, quo modo interim loquutus est Poeta: in alio, ATQVE HOMINVM, non reperio, atque ita quoque scripsisse aliquando TERENCE animadverto: in tertio DARE, in aliquibus codicibus non legitur: neque carmen postulat, & iratus suppressere multa solet: quae cum adscribere soleant Interpretes, in versum fit saepe ut admittantur. SE, praeterea video geminatum, & pro DENEGARAT, DENEGAVERAT scriptum reperio. Iam in octavo pro QVIA, QVONIAM. Vbi postea CHREMETIS, CHREMIS: ubi ITVR, ITVM. Accipe nunc, ut versus hos putarim & scriptos fuisse, & esse distinguendos.

P. *Hoc sine factum est humanum aut inceptum? hoccine officium patris?*

My. *Quid illud est?*

P. *Pro Deum atque hominum fidem, quid est, si hoc non est contumelia?*

*Vxorem decesserat dare sese mi hodie, nonne oportuit*

*Praescisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?*

My. *Miseram me, quod verbum audio. P. Quid Chremes, qui denegaverat*

*Se commissurum mihi gnatam suam uxorem, mutavit id*

*Quoniam me immutatum videt; itane obstinate dat operam, ut*

*Me a Glycerio miserum abstrahat? quod si fit, pereo funditus.*

*Adcon' hominem invenustum esse, aut infelicem quenquam, ut ego sum?*

*Pro Deum atque hominum fidem, nullo ego pacto Chremis*

*Adfinitatem effugere potero? quot modis Contemptus, spretus, facta, transacta omnia, hem*

*Repudiatus repeto? quamobrem? nisi, si id est,*

*Quod suspicor, monstri aliquid alunt; ea quoniam*

*Obtrudi nemini potest, ad me itur. M. haec Oratio me miseram exanimavit metu.*

Omnes Iambici sunt, Octonarii partim, partim Senarii. Monometer unus, non is quidem, quem esse ERASMVVS putabat: sed quem efficit Mysis: quae cum a Pamphilo exaudiri non vult, pauca loquitur. Monometrum in re simili in *Phormione* observavimus, ubi taciti Antipho & Phaedria Getam audiunt: ac cum a Geta Antipho nominatur, ibi tum Phaedria.

*Te nominat. A. Nescio quod magnum hoc nuntio expecto malum.*

P. A. *Santusne es?*

G. *Domum ire pergam, ibi plurimum est. P. Revocemus hominem. A. Sta illico. G. hem*

Quo etiam loco nos valde ab ERASMO dissentimus: qui cum ubi Monometrum faceret, non inveniret, & Octonarium fecit Catalecticum qui, ut superiores omnes, esse debebat Acatalecticus, & Monometrum Hypercatalecticum, qui si erat Monometer faciendus, Acatalecticus certe faciendus erat. Ad locum superiorem ut redeamus: in quo pro HOC CINE, nos HOC CINE: quod ideo ERASMVVS immutavit, ut Trocheum posset evitare: verum cum legi *Hoccine* secundo loco sit necesse, priore scripsisse aliter TERENCE persuaderi non potest: quare nemo non videt fuisse verborum seriem perturbatam. *Deum*, est utrobique Monosyllabum: *Nisi* posteriore dici interim producte & a Grammaticis video notatum, & nos in hoc Poeta non semel observavimus. Acque ut ab ea Scena non discedam, sequitur paulo post.

*Quod si ego rescissem id prius, quid facerem si quis nunc me roget.*

In eo versu quem Iambicum esse vult, ut vera esse debet, PRIUS syllabam esse unam vult ERASMVVS cum si id fiat, Iambicus esse Octonarius non possit. Nos legendum putamus, *Quod si ego prius id rescissem &c.* Sequitur,

*Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. Sed nunc quid primum exsequar?*

*Tot me impediunt curae, quae meum animum diversae trahunt,*

*Amor, misericordia huius, nuptiarum sollicitudo.*

Hos cum faciat ERASMVVS Trochaicos, rogarem eum libenter, an AMOR, non esset Iambus, quem Trochaici non recipiunt. Mihi certe Iambici Octonarii videntur, quales & qui praecedunt, & qui sequuntur: atque ita legendi,

*Aliquid facerem, ut hoc ne facerem; sed quid primum nunc exsequar,*

*Impediunt me tot curae, quae meum animum diversae trahunt,*

*Amor, huius misericordia, nuptiarum sollicitatio.*

Versus porro ille,

*Sed*



*Sed nunc peropus est aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa adversus hunc loqui.*

Cum sit Octonarius, legendus sic est, *Sed nunc peropu' est, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa adversus hunc loqui.* Vbi paulo post, *Bene & pudice eius doctum atque eductum sinam Coactum egestate ingenium immutaverit?*

EIVS, redundat: versui enim officit, & venustati. Vbi, *Et ad pudicitiam, & ad tutandam rem sient,* Praepositionem secundam eisdem de causis tolli volumus. Vbi, *Hanc mihi in manum dat, mors continuo ipsam occupat.* MI legendum erat. Vbi, *Sed cur tu abis ab illa?* M. *Obstetricem arcesso.* P. *Propera.* ABIS, Senarius non patitur, nisi ultimam reiicias litteram, quod TERENCEIO valde est familiare: Comica non magno opere desiderat elegantia. Locum hunc ut claudam, equidem ubi diligenter rem perpendo, nusquam inter Iambicos video Trochaicos a TERENCEIO temere interiectos, quae vetus doctorum fuit opinio, neque inter hos, illos: quibus tantum generibus usum animadverto. Atque ut aperte videas, quanta hac in parte libros corruptio pervaserat, est *Andriae Actus III. Scena II.*

*Adhuc Archillis quae assolent, quaeque oportet  
Signa ad salutem esse, omnia haec esse video.  
Nunc primum fac isthaec ut lavet, post deinde  
Quod iussi ei dare bibere, & quantum imperavi  
Date: mox ego huc revertar.*

*Per aecastor scitus puer natus est Pamphilo.*

Primos tres versus Iambicos Dimetros esse voluit ERASMVVS, quibus tamen essent annexi duo Trochei: duo sunt Trochei, *Quaeque oportet: duo, Esse video:* quoniam pro Trocheo poni Tribachys potest, in quem scilicet dissolvitur, ut pote temporibus parem. Post deinde duo Trochei. At hic versus, *Nunc primum fac isthaec ut lavet:* est ne Dimeter Iambicus? ERASMO an fuerit nescio, mihi certe nunquam erit. Iam quartum versum, cuius ERASMVVS genus non notavit, quem esse dicemus? Quintum etiam quod Dimetrum faciat Catalecticum, vidit meo iudicio parum. Mihi *scenae huius* versus generis sunt eiusdem: Iambici enim sunt omnes, mensurae tamen disparis. Quatuor primi, quibus cum iis, qui domi sunt, loquitur Lesbia, ea ratione sunt, ut primi & tertii extremae syllabae initia sint secundi & quarti: omnes Acatalectici erunt, octonarii omnes, praeter quartum is enim Dimeter est, qui Octonarius quoque fuisset, nisi ad spectatores & se & orationem Lesbia convertisset. Sic illius in *Eunucho, Ita fac ut iussi, deducantur isti &c.* Et illius quoque in *eadem Scena, Memini, tamen si nullus moneas, &c.* extremae syllabae initiis sequentium versuum sunt accommodandae: quod & aliis locis non paucis & animadvertimus, & indicavimus. Scripti sic mihi videntur a TERENCEIO,

*Adhuc Archillis quae assolent, quaeque esse oportet ad salutem*

*Signa, omnia huic esse video. Nunc primum isthaec ut lavet*

*Facite: post deinde, quod iussi, ei date bibere, & quantum imperavi*

*Date: mox ego revertar huc.*

FACITE, ut pro FAC, reponerem, non fecit versus ratio, sed quod DATE dixit postea, non, DA. Date, porro esse legendum; non Dare, & codices nonnulli testantur, & ratio indicat loquendi: dictum tamen id Interpretat consuetudine magis, quam ratione: quod si consuetudinis id est, non scripturae vitium, ostendere debuit, aut alibi TERENCEIVM sic scripsisse, aut Comicorum omnino quenkum ita loquutum, quorum de medio sumpta est omnis oratio. Quintum versiculum Iambicum esse puto octonarium: a quo quae detracta sunt, sequenti adiecta sunt versui. Ita ergo legimus,

*Per aecastor scitu' puer natu' est Pamphilo:  
quaeso Deos;*

*Superstes ut fiet, quandoquidem ipse est ingenio bono.*

Magis res erat desperata *Actus quarti initio,  
Hocine credibile est, aut memorabile,  
Tanta vecordia innata cuiquam ut fiet,  
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis  
Alterius sua uti comparent commoda? ubi  
Iam verum est? imo id genus hominum est  
pessimum, in*

*Denegando modo quaeis pudor est pudulum?  
Post ubi est tempus promissa iam perfici,  
Tum necessario sese aperiant & timent,  
Et tamen res cogit denegare. Ibi  
Tum impudentissima eorum oratio est,  
Quis tu es? quis mihi es? cur mecum tibi  
beas*

*Proximus sum egomet mihi. Attamen, ubi  
fides,*

*Si roges, nihil pudet; hic, ubi opus est,  
Non verentur: illic, ubi nihil opus est, ibi  
verentur.*

Primum pentametrum Iambicum fecit ERASMVVS, quos nullos scripsit TERENCEIVS: sequentes duos Dimetros Creticos: quod (taceo eorum versuum esse autorem ERASMVVM) fieri minime potest: cum, *Atque ex in,* Molossum non Creticum efficiant: quatuor sequentes qui essent, non notavit: Creticos certe Dimetros dicere non potest. In nono versu deesse aliquid putavit, quod pro Cretico quarto Iambus poneretur. At *res cogit,* eratne Creticus secundus, ut pro quarto positum diceret Iambum? In decimo Creticos tres notavit, qui ubi essent, vellem profecto indicasset, ne nos in quaerendo frustra laborassemus. In undecimo, ut in nono, pro Cretico quarto Iambum poni notavit. Primum, si in nono pro Cretico esse Iambum putabat, quod versui deesse aliquid videretur, quid



quid hic commissum est flagitii, ut qui Creticus esse debuerat, factus sit Iambus? Tum vero, *Quis tu es*, Creticum quis esse dixerit, ac non potius Spondeum? Iam in versu sequente, ubi quatuor Cretici? ubi in illo, *Si roges*, &c. tres? est ne, *Nihil pudet*, Creticus? equidem non arbitror. Extremum esse voluit Trochaeum Scazontem, addere debuit Catalecticum, quos nullos scripsit TERENTIUS. Ego omnes esse arbitror Iambicos Tetrametros, hoc est Octonarios, sive Quadratos, quales sunt qui sequuntur omnes, usque ad Trimetros; quibus pene clauditur scena. Legendos autem ita censeo.

*Hocine credibile, aut memorabile, tanta ut cuiquam vecordia*

*Innata fiet, ut gaudeat malis; atque ex incommodis*

*Alterius, sua uti commoda comparet? ha verumne id est? genus*

*Immo hominum id pessimum est, in denegando queis pudor modo*

*Paululum adest, post ubi iam tempus est promissa perfici,*

*Necessario aperiunt tum se, & timent, & cogit res eos*

*Tum denegarē. Ibi tum impudentissima eorum est oratio,*

*Quis tu es? quis es mihi? cur meam tibi, heus proximu' sum egomet mihi.*

*Attamen ubi fides, si roges, nihil pudet: hic, ubi est opus*

*Nihil verentur: illic, ibi verentur, ubi non est opus.*

Si qua vides immutata, quae pauca vides, cogitare primum debes, quanta in exemplaribus sit varietas, tum quam facile fuerit EST addere, E geminare, verba modice transponere, pro Tum scribi Tamen, NIHIL & NON, suis se mutuo sedibus expulisse. Eos, quod additum a nobis eo loco, quo ERASMVVS deesse non nihil imprudens divinavit, addidimus certe codicis testimonio. Eiusdem sunt qui sequuntur & generis & mensurae.

*Sed quid agam? adeam ne ad eum, & iniuriam banc exoptulem cum eo,*

*Mala ingeram multa? Atqui aliquis dicat, nihil promoveris.*

*Habes GUILLELME BELLAI conicere unde possis, aut quid ego effecerim, aut quid efficere voluerim: neque vero dubito, quin ut post alios multa nos satis deprehendimus, post nos alii quoque multa sint animadversuri. Optamus autem gratus tibi sit conatus iste noster, & utilis studiosis, ut favore tuo cum publica utilitate coniuncto in qua vigiliarum omnium mearum praemium semper putavi reponendum, in utriusque linguae autoribus castigandis nostra in dies accendatur industria. Vale. Lugduni ad Cal. Apriles.*

*Multum; molestus certe ei fuero, atque animo morem gessero.*

Ita enim sunt legendi. Plura GUILLELME BELLAI capere epistolae brevitatis non potest, & omnia persequi, negotii esset & otii maioris: unum si addidero, quia in eo sum loco, scribendi faciam finem. Legitur paulo post,

P. *Cur me enecas? hoc audi. Nunquam destitit Instare, ut dicerem esse ducturum patri.*

*Suadere; orare usque adeo donec perpulit.*

CA. *Quis homo isthuc? P. Davos. C. Davos?*

*P. Interturbat. C. quamobrem. P. nescio.*

*Nisi mihi deos satis scio fuisse iratos, qui auscultaverim.*

Qui duo posteriores versus Octonarii sunt Iambici, ut nunc quidem sunt: iudicio tamen nostro Trimetri esse debent tres, ac sic legi,

C. *Quis homo isthuc? P. Davos. C. Davos?*

*P. Davos omnia.*

C. *Quamobrem? P. nescio; nisi mihi deos satis scio fuisse iratos, qui auscultaverim.*

Quanta orationi accesserit venustas intelligis: quae certe cum locus suspectus non esset vehementer, ad immutandum momenti nunquam satis habuisset, nisi in vetere satis exemplari ita scriptum reperissem, *Quis homo isthuc? P. Davos. C. Davos? P. Davos interturbat omnia.* ego INTERTURBAT esse interpretis affirmare ausim, sumptum ex illo Davi, *Iam perturbavi omnia.* Eius generis quam sint multa, neque credi, neque dici facile potest. In Phormione ita legebatur, *Ita ne tandem quaeso civem, item ut meretricem ubi abusus sis:* cuius versiculi duo illa verba, *ut meretricem*, esse quoque interpretis indicat aperte Senarius. In *And. Act. III. Sce. III.* scriptum sic erat,

M. *Ne me attingas sceleste, si pol Glycerio non omnia haec.*

D. *Eho inepta: nescis quid actum. M. quid sciam.*

Ego utrumque Trimetrum esse puto, illudque, *QUID SIT ACTVM*, interpretis esse, non autoris: proinde ita legendum,

*Ne me attingas sceleste: si pol Glycerio*

*Non omnia haec. D. eho inepta, nescis. M. sciam?*

Neque recussem quin quantum de iudicio hoc meo, tantum de existimatione detrahatur.



## ANTONIVS GOVEANVS

## DE VERSIBVS TERENCEIANIS.

**T**ERENCEIANI versus aut Iambici sunt, aut Trochaici. Iambici pedes duos recipiunt, Iambum & Spondeum, & in quos ii dissolvuntur, praeterea nullos. Trochaici item duos, Trocheum & Spondeum, & in quos ii dissolvuntur: praeterea nullos. Iambici, aut Monometri sunt, aut Dimetri, aut Trimetri, aut Tetrametri: vel ut verius dicam, aut Binarii, aut Quaternarii, aut Senarii, aut Octonarii: neque enim ex Iambis toti constant, ut duo pedes unicam efficiant mensuram. Binarii pedes habent duos, Quaternarii quatuor, Senarii sex, Octonarii octo: qui & quadrati & Longissimi dicuntur. Binarii & Senarii iustae semper sunt mensurae: nisi in quibus, quod raro fit, syllaba una superest: qui & Hypercatalectici, & ab ASCONIO Saturnii vocantur: qualis ille est, quo Naevio dicenti, Metellos fato Romae fieri Consules respondit Metellorum unus, *Dabunt malum Metelli Naevio Poetae.* Quae tamen redundans syllaba a vocali, quae sequentem inchoat versum, apud TERENCEIVM absimitur: quemadmodum in versu illo *Phormionis, Neque testimonii dictio est. D. mitto omnia:* adde, & in illo *Adel. Rationem. S. Est hercle inepta: ne dicam dolo, atque.* Veri praeterea sunt Iambici; hoc est sede ultima Iambum semper habent, nunquam Spondeum. Octonarii iustae alii sunt mensurae, qui *Acatalectici* vocantur, iique veri semper apud hunc Poetam Iambici: alii syllaba vel breviores, vel longiores: Catalectici illi, qui & fere Scizontes sunt, hoc est Iambici non veri: ii *Hypercatalectici* dicuntur. Quaternarii iustae fere sunt mensurae: qui iustae non sunt mensurae Catalectici sunt, nulli *Hypercatalectici*: quales illi sunt in *Hecyra, Foras puerum evocare, & Benigne praebeatur.* Nunc, Trochaici aut Quaternarii sunt, aut Octonarii, Catalectici omnes, aut *Hypercatalectici*, iique Octonarii. Quaternarium *Acatalecticum* unum tantum potui apud hunc Poetam reperire, in *Eunuch. Act. iv. sc. 6. vs. 4. Conferuntur, vapulabit,* si modo locus non caret vitio. Nimis fuere ingeniosi, qui Denarios versus in TERENCEIO sunt commenti, qui Pentametros Iambicos, qui Dimetros redundante pede, qui Dimetros Creticos, qui Creticos Monometros redundante pede,

qui e Cretico uno versum brevissimum, qui Creticos quosdam versus, in quibus pro Cretico poneretur Molossus, poneretur & Iambus, qui monstra illa versuum e Trocheis Iambisque conflata. Porro neque ab Iambicis ad Trochaicos, neque ab iis ad illos transit Poeta, nisi (quae vetus doctorum fuit opinio longo a me nunc intervallo revocata) res id aut postulet, aut certe ferat. Quae poetarum more licere sibi voluit TERENCEIVS, quae quidem pauca sunt, haec ipse animadverti; in unam contrahit syllabam, *Meus, Tuus, Suus, Deus, Deum, Deae, Prior, Prius, Puer, Rei, Eho, Fuit, Ea,* in duas, *Triduum, Eadem, Eodem, Duarum, Fuisse:* dissolvit, *IAM* in duas syllabas, in tres *VERO*, in quatuor *VIRGINEM*, in quinque, *EIVSMODI, REDDVCERE, REDDVCTVS, RELLIQVVM RELLATVM* geminata effert consonante, *REDERE* una, literam quae in *OPTVMVS* extrema est, tollit frequentissime more veterum: quem tamen ENNIUS, qui TERENCEIO aetate superior fuit, contemnens dixit. *Versibus quos olim Launi vatesque canebant;* litteram quoque interdum quae in *ILLVD* extrema est, tollit, ut in illo *Eunuchi, Quid interest: hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi.* Sic *LVCILIVS, Laelius praeclare, & recte sophos, illudque vere:* Sic *ACTIVS* in illo suo Trochaico, qui a CICERONE citatur *lib. primo de Divinatione, Per propinqua haec bene verruncent populo: nam quod ad dexteram.* Extrema praeterea prioris versus syllaba est cum ad inchoandum sequentem utatur, ut in illo *Adel. Prius nos oppressisset illic, quam hic reverti posset iterum: & illo rursus eadem fabula, D. Age veniam da, Ae. Ne gravere. D. Fac, promitte. M. Non omittis.* Est item cum vocalem, quae in superiore proximo versu redundat, ab ea vocali quae sequentem versum inchoat, absumi velit, ut in illo *Phormionis, Quamobrem, omitto proloqui: nam nihil ad hanc rem est Antipho;* ubi: Et in illo rursus *Phormionis, Eheu me miserum: cum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi.* Est & cum a vocali quae proximum superiorem claudit versum, eam absumi velit, quae inchoat sequentem, ut in illo *Phormionis, Infelix. P. metuit hic nos, tametsi sedulo.* Haec iudicio nostro sunt, quae de versibus Terentianis praecipere vere potuerunt.



## IDEM DE LUDIS MEGALENSIBVS.

**D**e Ludis Megalensibus quoniam varie ab auctoribus scriptum esse videbam, operae pretium facturum me existimavi si quae colligere ipse legendo potui, in medium asferrem. De iis igitur ita DONATIVS in *eo commentario* quem de TRAGOEDIA ET COMOEDIA scriptum reliquit, *Aetas diversis Ludis manifestum est inscribi: nam Ludorum quatuor sunt species, quos Aediles Curules munere publico curant, Megalenses, magnis Dis consecrati, quos Graeci Μεγαλεισσι appellant.* Haec Donatus. *Σίους* certe Aeoles Deos vocant: unde Sibylas dici vult ARISTOTELES quod deorum mentes consiliaque perspiciant. Magnos vero Deos eos dici puto a DONATO, quos maiorum gentium Deos CICERO vocat: qui a terris in coelum non pervenerunt. Tales habebantur Iupiter, Neptunus, Iuno, Minerva, Tellus. Quod si ita est, eosdem fuisse Ludos Megalenses & Romanos necesse erit, cum scribat ASCONIVS Romanos ludos Magnos quoque appellari, quod magnis Ludis essent instituti: quos eosdem *Circenses* dictos putat: unde illud VIRGILII *Magnis Circensibus actis.* Verum cum Megalesia sive Megalenses Ludi fierent Nonis Aprilis, Romani vero de medio Septembri, quemadmodum paulo post dicemus, manifesto tenemus non eosdem Ludos fuisse Megalenses & Romanos, quare neque eisdem Dis consecratos. Scrupulum tamen in hac re iniiciunt mihi duo excellentissimi scriptores, T. LIVIVS, & M. CICERO ille *Decadis. IIII. lib. III.* ita scribit, *Megalesia Ludos Scenicos. C. Attilius Seranus, L. Scribonius Libo Aediles Curules primi fecerunt. Horum Aedilium Ludos Romanos primum Senatus a populo secretus spectavit, praebuitque sermones, sicut omnis novitas solet.* M. vero CICERO in oratione de *Haruspicum responsis*, *Megalesia primum scribit Senatum a populo secretum spectasse: ut eosdem Ludos LIVIVS Romanos, CICERO Megalesia vocasse videatur.* CICERONIS verba haec sunt: *Nam quid ego de illis Ludis loquar, quos in palatii nostri maiores ante templum in ipso Matris Magnae conspectu Megalensibus fieri, celebrarique voluerunt? qui sunt more institutisque maxime casti, solennes, religiosi: quibus Ludis primum ante populi consessum Senatui locum P. Africanus iterum Consul ille maior dedit, ut eos Ludos haec lues impura pollueret; quo si quis liber, aut spectandi, aut etiam religionis causa accesserat, manus offerebantur: quo matrona nulla adit propter vim concessumque servorum. Ita eos Ludos quorum religio tanta est, ut ex ultimis terris accersita in hac urbe confederit, qui uni ludi ne verbo quidem appellantur Latino, ut vocabulo ipso, & appetita religio externa, & Matris Magnae nomine suscepta declaretur, hos Ludos servi fecerunt, servi spectaverunt, tota denique hoc Aedile*

*servorum Megalesia fuerunt.* Dicendum igitur est aut LIVIVM, aut CICERONEM lapsum in Historia, nisi illud malimus, quod dici certe non potest, eosdem Ludos fuisse *Megalenses & Romanos*: aut LIVII locum corrupte legi; & ubi *Romanos* scriptum est, reponendum *Romanus*: quod non potest defendi: cum a LIVIO alio loco eiusdem Decadis ita scribatur, *Magnam quoque gratiam P. Cornelius Scipio, T. Sempronius Longus* COSS. *apud Senatorium ordinem sibi pepererunt: quod Ludis Romanis Aedilibus Curulibus imperarunt, ut loca Senatoria secernerent a populo: nam antea in promiscuo spectabant.* Quam lectionem approbat quoque ASCONIVS, qui Ludis Romanis secretum a populo Senatum scribit. CICERONEM tamen sequutus VALERIVS MAXIMVS *lib. secundo de Institutis antiquis* ita scribit, *Per quingentos autem & quinquaginta octo annos Senatus populo mistus spectaculo Ludorum interfuit. Sed hunc morem Attilius Seranus & L. Scribonius Aediles ludos Matri Deum facientes, superioris Africani sententiam sequuti discretis Senatus & populi locis solverunt: eaque res avertit vulgi animum, & favorem Scipionis magnopere quassavit.* Ut ea res cunque habeat, non omnibus magnis Dis, sed Matri tantum Magnae fiebant Megalesia, sive Ludi Megalenses: idque & ex *eo loco CICERONIS* quem citavimus, & ex LIVIO intelligi potest. Is sic scribit *Decadis III. lib. nono*, *P. Cornelius cum omnibus matronis Ostiam obviam ire Deae iussus, isque eam de nave acciperet, & in terram delatam traderet eam ferendam matronis: verbisque aliquot interpositis, in aedem Victoriae, quae est in Palatio deam pertulere pridie Idus Aprilis, isque dies festus fuit, populus frequens dona deae in Palatium tulit, lectisterniumque & Ludi fuerunt Megalesia appellati.* Idem *Decadis III. lib. VI.* *Per idem fere tempus aedes Magnae Matris Ideae dedicata est: quam deam is P. Cornelius advectam ex Asia P. Cornelio Scipione, cui post Africano fuit cognomen, P. Licinio* COSS. *in Palatium amari detulerat. Locaverant aedem faciendam ex S. C. M. Livius, C. Claudius Censores, M. Cornelio, T. Sempronio* COSS. *Tredecim annis post quam locata erat, dedicavit eam M. Iunius Brutus, ludique ob eam dedicationem facti, quos primos Scenicos fuisse Valerius Antias est auctor, Megalesia appellati.* Iam vero mirum nemini videri debet, quod dicat CICERO *Megalesia Megalensibus celebrari*: alterum enim Ludos, alterum dies quibus Megalesia celebrantur, significat. Ita CICERO ad Caelium epistola cuius initium est, *Putares ne unquam accidere posse, Minime, inquit, hercule magnae curae est Aedilitas tua: ipse dies me admonebat: scripsi enim haec ipsis Megalensibus.* Per dies vero plures celebrata Megalesia ex CICERONIS oratione



de Haruspicum responsis intelligi potest. In ea ita scriptum est; *Quod ni tu Megalesia illo die spectare voluisses, haud scio an vivere nobis, atque iis de rebus quæ iam liceret.* De Ludis vero Romanis, qui iidem & Magni & Circenses sunt appellati, ita CICERO *Actio in Verrem prima, Nonæ sunt hodie Sextiles, hora nona convenire coepistis: hunc diem iam ne numerant quidem: decem dies sunt ante ludos votivos, quos Cn. Pompeius facturum est: ii ludi dies quindecim auferent: deinde Romani continuo consequentur: ita prope XL. diebus interpositis, tum denique se ad ea quæ a nobis dicta erunt, responsuros esse arbitrantur.* Quæ CICERONIS verba oratorie intelligenda sunt: neque enim Ludi Romani votivos Pompeii Ludos continuo sequuti sunt: ii peracti sunt III. Calendas Sextiles: illi de medio Septembri mittebantur, durabantque dies quatuor. Iam quod dicit *ITA PROPE XL. DIEBUS INTERPOSITIS*, oratorie quoque est intelligendum: illud scilicet verius poterat; *ITA XXXV. interpositis diebus*: tot enim fuissent dies a die quo commissi Ludi Pompeiani sunt, ad diem ultimam Ludorum Romanorum. Decem illos dies non numero, qui ante votivos Ludos erant, quos accusando CICERO omnes pene absum-

psisset: quos si numeres, LV. non XL. prope, interponentur dies. De iisdem Ludis ita rursus CICERO lib. v. in Verrem. *Nunc, inquit, sum designatus Aedilis, habeo rationem quid a populo Romano acceperim: mibi Ludos sanctissimos maxima cum cæremonia Cerei, Liberæ, Liberoque faciendos, mibi Floram Matrem populo plebique Romanæ Ludorum celebritate placandam, mibi Ludos antiquissimos, qui primi sunt Romani appellati, maxima cum dignitate ac religione Iovi, Junoni, Minervæque esse faciendos, mibi sacrum aedium procurationem, mibi totam urbem tuendam esse commissum.* De iisdem Ludis sic LIVIUS, *Bellum primum cum Latinis gessit Tarquinius, & oppidum ibi Appiolas vi cepit: prædaque inde maiore quam quanta belli fama fuerat, revecta, Ludos opulentiùs instructiusque quam priores reges fecit.* Tum primum circo qui nunc maximus dicitur, designatus locus est: loca divisa Patribus Equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati, spectare furcis duodecim ab terra spectacula alta sustinentibus pedes. *Ludicrum fuit equi, pugilesque ex Hetruria maxime acciti. Solennes deinde anqui mansere Ludi Romani Magnique varie appellati.* Haec de Ludis Megalensibus habebam quæ dicerem.

## IDEM DE TIBIIS PARIBVS ET IMPARIBVS.

**A**gebantur, inquit DONATVS; *Comoediae aut tibiis paribus aut imparibus, & dextris aut sinistris. Dextrae autem Tibiae sua gravitate seriam Comoediae dictionem pronuntiabant. Sinistrae & Serranae acuminis levitate iocum in Comoedia ostendebant. Vbi autem dextra & sinistra acta fabula inscribatur, mixti ioci, cum gravitate denunciabantur.* Haec DONATVS. Ego easdem fuisse puto dextras & impares, easdem sinistras & pares: quoniam & impares ad graves Comoedias adhibebantur, & ad leves pares. *Dextrae dicebantur quoniam canebant ab ara dextra, quæ in Scena Libero semper ponebatur, Sinistrae quæ ab ara sinistra, quæ ei deo ponebatur, cui ludi fiebant: Pares cur dicantur; & cur item impares, non satis notum hominibus esse arbitror.* DIOMEDES nobilis Grammaticus ea de re ita scribit, *Quod paribus tibiis vel imparibus actas Comoedias invenimus scriptum, hoc significat, Quod si quando Monodio agebat, unam tibiam inflabat, si quando Synodio, utranque.* Mea ea de re hæc est opi-

nio. Cum ad distinguendos actus Graeci Poetae choros adhibuissent, Latini nullum eis locum reliquerunt. Ne tamen cantus suavitatem a Comoedia prorsus reiicerent, Cantica modis factis ad tibiis a perito artis Musicae temperabant: tibiis inquam in gravi Comoedia dextras, in levi sinistras: quare gravem sonum dextrae, acutum sinistrae emittebant, ut sono Comoediae vel levitati vel gravitati responderent. Quod ut fieret commodius, impares fiebant dextrae, hoc est foramine unico, sinistrae pares & foramine gemino, ut & varius esset & acutior sonus duobus emissus foraminibus. Unde cum apud VIRGILIUM Numanus Remulus cognomento obsessis Troianis molliciem & levitatem exprobraret: *O verae inquit Phrygiae, neque enim Phryges: ite per alta Dyndima, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.* In quem locum ita SERVIUS doctissimus Grammaticus, *CANTVM BIFOREM, BINIS, inquit, & disparibus foraminibus emissum concentum.*



## IDEM DE CANTICIS ET DIVERBIIIS.

**D**e Canticis & Diverbiis ita DONATUS, Diverbia, inquit, Histriones pronunciabant. Cantica vero temperabantur modis, non a Poëta, sed a perito artis Musicae factis. Haec DONATUS. DIOMEDES rem dixit apertius: Tria sunt inquit ille, membra Comoediarum, Diverbium, Canticum, Chorus. Diverbia sunt partes Comoediarum in quibus diversae personae versantur. Personae autem Diverbiorum aut duae, aut tres, aut raro quatuor esse debent, ultra augere numerum non licet. In Canticis autem una tantum debet esse persona: aut si duae fuerint, ita esse debent, ut ex occulto una audiat nec loquatur, sed secum, si opus fuerit, verba faciat. In choris vero numerus personarum definitus non est: quippe iunctim omnes loqui debent quasi voce confusa, & concentum in unam personam reformantes. Latinae igitur Comoediae chorum non habent, sed duobus tantum membris constant diverbio & cantico. Haec DIOMEDES. Mihi ideo Cantica dicta videntur, quod pronunciarentur ad vocem Histrionis adhibito Tibicine. CICERO epistola ad Paetum cuius initium est, Amo vere-

cundiam. Nam si quod sit, inquit, in obscenitate flagitium, id aut in re esse, aut in verbo, nihil esse tertium in re non est. Itaque non modo in Comoediis res ipsa narratur, ut ille in \* Trinumo, Virgo modo forte nosti canticum, meministi Roscium) ita me destituit nudum. Idem prima Quaestione Tusculana, Metuit ne laceratis membris minus bene utatur, ne combustis, non extimescit:

*Heu reliquias semiaffi regis nudatis ossibus  
Per terram sanie delibutas divexarier.*

Non intelligo quid metuat cum tam bonos septenarios fundat ad tibiam. Quis primus ad vocem tibiam adhibuerit refert VALERIUS MAXIMUS, libro secundo de Institutis antiquis, iis verbis. Paulatim deinde ludicra ars ad Satyrarum modos perrexit: a quibus primus omnium Poëta Livius ad fabularum argumenta spectantium oculos & animos translulit. Isque sui operis actus cum saepius a populo revocatus vocem obtudisset, adhibito pueri & tibicinis concentu gesticulationem tacitus peregit. Certius nihil iis de rebus reperire potuimus.





# ANDRIAE TERENTII

ARGUMENTVM,

PER

ANTONIUM GOVEANVM.



*Thenis Glycerium Chrysidis, Andriae meretricis, credebatur soror, Chremetisque, civis Atheniensis, filia ignorabatur. In eius amore occupato Pamphilo Atheniensi adolescenti Simo pater Philumenam alteram Chremetis filiam inscienti desponderat, Chremete ita postulante. Amare Pamphilum ut comperit Chremes, negat se filiam ei suam dare. Simo, qui de amore hoc nihil dum compererat, animum filii per simulatas nuptias explorat. Non latuit Davum servum senis callidum consilium: Pamphilum bono iubet esse animo, simulare patrem nuptias, ut iurgii, si forte neget, causam reperiat: periculi nihil esse, si se patri ducturum dicat. Credit adolescens minime malus astuto servo: patrique iubenti domum iret, pararet, eo die ducendam uxorem, nullam in se esse moram respondet. Laetus primum responso filii Simo, persuasus deinde a Davo iras esse inter Glycerium & Pamphilum maximas, Pamphilumque amoris iam pigere meretricii, ad Chremetem properat, obsecrans, ut quoniam sibi exploratum esset filium ad uxorem animum appulisse, ita fierent nuptiae, quemadmodum futurae fuerant. Paraverat iam ad nuptias omnia Chremes, cum resciscit natum filium Pamphilo e Glycerio. Quae mirifico quodam casu mox Chremetis filia inventa, Pamphilo summa, & Chremetis, & sui patris voluntate uxor relinquitur, magna Charini, Atheniensis alterius adolescentis, spe ducendae Philumenae: quam cum unice amaret, Pamphilo nuptum dari indignissime ferebat.*

---

## INTERLOQVVTORES FABVLAE.

SIMO <i>senex</i>	<i>A specie, quod simi sint iracundi</i>
PAMPHILVS <i>adolescens</i>	<i>A fideli amore</i>
DAVVS <i>servus</i>	<i>A patria</i>
DROMO <i>lorarius</i>	<i>A cursu</i>
SOSIAS <i>libertus</i>	<i>Quod sit in bello servatus</i>
CARINVS <i>adolescens</i>	<i>A benevolentia animi</i>
BYRRIA <i>servus</i>	<i>A colere</i>
CRITO <i>hospes</i>	<i>Quod controversiam dirimat</i>
CHREMES <i>senex</i>	<i>Quod senes tussi expurgent pectus</i>
GLYCERIVM <i>meretrix</i>	<i>A voluptate</i>
MYSIS <i>ancilla</i>	<i>A Mysia patria</i>
LESBIA <i>obstetrix</i>	<i>A Lesbo insula</i>



ANDRIA TERENTII  
ACTA LVDIS MEGALENSIBVS

M. FVLVIO, ET M. GLABRIONE Q. F. AEDILIBVS CVRV-  
LIB. EGERVNT L. AMBIVIVS TVRPIO, L. ATTILIVS  
PRAENESTINVS. MODOS FECIT CLAVDIVS FLACCVS  
CLAVDII F. TIBIIS DEXTRIS ET SINISTRIS, ET EST  
TOTA GRAECA MENANDRV. EDITA M. MARCELLO,  
CN. SVLPITIO COSS.

PROLOGVS.

ARG. *Terentium aduersus veteris Poëtae maledicta defendit.*

SENARI I.

*Dari.)* A Comoedis qui poëtas ad scribendum hortabantur vide *Phormionis prologum.*

*Nam in prologis scri.)* Hinc colligi potest, non fuisse hanc primam fabulam, quam populo exhibuerit TERENT. Nam & paulo post, *nunc inquit quam rem vitio dent, quaeso animum advertite.*

*Veteris poëtae.)* Veterem poëtam hic vocat, quem in *Eunuchi prologo* Defunctum.

*Contaminari.)* Permisceri. Sic in *Prologo Heaut.* Nam quod rumores distulerunt malevoli Multas contaminasse Graecas.

POETA quum primum animum ad scribendum adpulsit,  
Id sibi negoti credidit solum dari:  
Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.  
Verum aliter evenire multo intelligit.  
Nam in prologis scribundis, operam abutitur: 5  
Qui argumentum non narret, sed qui malevoli  
Veteris poëtae maledictis respondeat.  
Nunc quam rem vitio dent, quaeso animum advertite.  
Menander fecit Andriam & Perinthiam:  
Qui utramvis recte norit, ambas noverit. 10  
Non ita dissimili argumento sunt, sed tamen  
Dissimili oratione sunt factae, ac stylo.  
Quae convenere, in Andriam ex Perinthia,  
Fatetur transtulisse, atque usum pro suis.  
Isti id vituperant factum: atque in eo disputant, 15  
Contaminari non decere fabulas.  
Faciunt nae intelligendo, ut nihil intelligant:  
Qui cum hunc accusant, Naevium, Plautum, Ennium  
Accusant, quos hic noster authores habet:  
Quorum aemulari exoptat negligentiam 20  
Potius, quam istorum obscuram diligentiam.  
Dehinc ut quiescant, porro moneo: & desinant  
Maledicere, malefacta ne noscant sua.  
Favete, adeste aequo animo, & rem cognoscite,  
Ut pernoscant is eequid spei sit relliquum: 25  
Posthac quas faciet de integro Comoedias,  
Spectandae, an exigendae sint vobis prius.

ACT. I. SCEN. I.

ARG. *Cognoscit e Simone Sosias Pamphili vitam, eius de simular-  
dis nuptiis consilium, & quid in ea re se facere senex velit.*

SIMO senex. SOSIAS Libertus.

*Senarii omnes.*

*Vos isthaec.)* Redit a foro Sino cum servis cum obsonio.

SI. VOS isthaec intro auferte. abite. Sofia  
Adesdum: paucis te volo. SO. dictum puta:

Nempe



- Nempe ut curentur recte haec. SI. Imo aliud. SO. quid est,  
 Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius?  
 SI. Nihil isthaec opus est arte ad hanc rem quam paro:  
 Sed iis quas semper in te intellexi fitas,  
 Fide & taciturnitate. SO. expecto quid velis.  
 SI. Ego postquam te emi a parvolo, ut semper tibi  
 Apud me iusta, & clemens fuerit servitus,  
 Scis: feci, e servo ut esses libertus mihi,  
 Propterea quod servibas liberaliter.  
 Quod habui summum pretium, persolvi tibi.  
 SO. In memoria habeo. SI. haud muto factum. SO. gaudeo  
 Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat Simo: &  
 Id gratum fuisse adversum te, habeo gratiam.  
 Sed mi hoc molestum est: nam isthaec commemoratio,  
 Quasi exprobratio est immemoris benefici.  
 Quin tu uno verbo dic, quid est quod me velis.  
 SI. Ita faciam. hoc primum in re hac praedico tibi,  
 Quas credis esse has, non sunt verae nuptiae.  
 SO. Cur simulas igitur? SI. rem omnem a principio audies:  
 Eo pacto & gnati vitam, & consilium meum  
 Cognosces, & quid facere in hac re te velim.  
 Nam is postquam excessit ex ephebis, Sofia,  
 Liberior vivendi potestas fuit. nam antea  
 Qui scire posses, aut ingenium noscere,  
 Dum aetas, metus, magister prohibebant? SO. ita est.  
 SI. Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,  
 Ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos  
 Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos:  
 Horum ille nihil egregie praeter caetera  
 Studebat: & tamen omnia haec mediocriter.  
 Gaudebam. SO. non iniuria: nam id arbitror  
 Adprime in vita esse utile, ut NE QUID NIMIS.  
 SI. Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati,  
 Cum quibus erat cumque una, iis sese dedere:  
 Eorum obsequi studiis: adversus nemini:  
 Nunquam praeponebat se aliis: ita ut facillime  
 Sine invidia invenias laudem, & amicos pares.  
 SO. Sapienter vitam instituit; nanque hoc tempore  
 OBSEQUIUM amicos, veritas odium parit.  
 SI. Interea mulier quaedam ab hinc triennium  
 Ex Andro commigravit huc vicinia,  
 Inopia, & cognatorum negligentia  
 Coacta, egregia forma, atque aetate integra.  
 SO. Hei, vereor ne quid Andria adportet mali.  
 SI. Primum haec pudice vitam, parce, ac duriter  
 Agebat, lana ac tela victum quaeritans.  
 Sed postquam amans accessit precium pollicens,  
 Vnus & item alter (ITA UT ingenium est omnium  
 Hominum a labore proclive ad libidinem)  
 Accepit conditionem: dein quaestum occipit.  
 Qui tum illam amabant, forte (ita ut fit) filium  
 Perduxere illuc secum ut una esset, meum.  
 Egomet continuo mecum: certe captus est,  
 Habet. Observabam mane illorum servulos  
 Venienteis, aut abeunteis, rogabam, Heus puer,  
 Dic fodes: quis here Chrysidem habuit? nam Andriae  
 Illi id erat nomen. SO. Teneo. SI. Phaedrum aut Cliniam  
 Dicebant. aut Niceratum. Nam hi tres tum simul  
 Amabant. Eho quid Pamphilus? quid? symbolum  
 Dedit: coenavit, gaudebam. Item alio die.

*Haec ino a.) Dactylus.*

5

10 *Mibi.) Patronis etiam in libertos iuris erat nonnihil. Pretium.) Praemium.*

15

20

*Et gnati vitam.) Partitio.*

*Nam is postquam.) Vita Pamphili.*

25 *Vendi po.) Dactylus.*

30

35 *Adprime.) Verum erat ad prima: ut & Graeci eis το πρώτα*

40 *Obsequium.) In peccatis indulgentia e-  
CERO de Amicitia.*

*Veritas.) Rectitudo consilii.  
Huc vicinia.) Sic in Phormione, Modo quandam vidi virginem hic vicinia.*

45

*Quaeritans.) Parans tenuiter. Gaignant pauvrement.*

50

55

*Symbolum.) Quod quisque pro parte sua ad coenam confert. in Eun. Ut de Symbolis effemus, in Phor.*

60 *Tene a symbolum venire unctum atque lautum & balneis.*



*Exemplum.)* Specimen.

*Confiliat.)* Sic in *Phor.* Nunquam usus venit, ut cum eiusmodi confiliatres malo, Scias & Suae.) Monosyllaba,

*Fortunas.)* Sortem. Sic in *Heaut.* Ita me Di amabunt, ut tuarum miseritum est Menedeme fortunarum.

*Effertur.)* Nemo in urbe ex Solonis legibus sepeliebatur, urebaturve. Cum ergo cadaver ad sepulturam fertur, effertur dicitur a Romanis, a Graecis ἐφέρεται. Vide epist. SERVII SVLPITII ad Cicero de M. Marcello Piraei interfecto. Ab Atheniensibus, inquit, locum sepulturae intra urbem ut darent impetrare non potui, quod religione impediri se dicerent: neque tamen id antea cuiquam concesserant.

*Ad sepulchrum.)* Vbi & corpus conburebatur, & cineres combusto corporis reponerentur. SERVIVS ad Cic. illa eadem de Marcello epistola, Nos in nobilissimo orbis terrarum gymnasio Academiae locum delegimus, ibique eum combussimus, posteaque curavimus, ut iidem Athenienses in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum curarent.

*Aegrefereus.)* Aegrefereus dictio una esse videtur, quam ita CICERO

Quaerebam: comperiebam nihil ad Pamphilum  
 Quidquam attinere. enimvero spectatum satis  
 Putabam, & magnum exemplum continentiae. 65  
 Nam qui cum ingeniis conflictat eiusmodi,  
 Neque commovetur animus in ea re tamen:  
 Scias posse habere iam ipsum suae vitae modum.  
 Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia  
 Bona dicere, & laudare fortunas meas, 70  
 Qui gnatum haberem tali ingenio praeditum.  
 Quid verbis opus est? hac fama impulsus Chremes,  
 Vltro ad me venit, unicam gnatam suam  
 Cum dote summa, filio uxorem ut daret.  
 Placuit, despondi. hic nuptiis dictus est dies. 75  
 S O. Quid obstat, cur non verae fiant? S I. audies.  
 Fere in diebus paucis, quibus haec acta sunt,  
 Chrysis vicina haec moritur. S O. o factum bene.  
 Beasti: metui a Chryside. S I. ibi tum filius  
 Cum illis qui amabant Chrysidem, una aderat frequens, 80  
 Curabat una funus: tristis interim,  
 Nonnunquam collacrumabat. placuit tum id mihi.  
 Sic cogitabam, Hic parvae consuetudinis  
 Causa, mortem huius tam fert familiariter:  
 Quid si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri? 85  
 Haec ego putabam esse omnia humani ingeni,  
 Mansuetique animi officia: quid multis moror?  
 Egomet quoque eius causa in funus prodeo,  
 Nil suspicans etiam mali. S O. hem, quid est, S I. scies.  
 Effertur, imus. Interea inter mulieres, 90  
 Quae ibi aderant, aspicio forte adolescentulam.  
 Forma. S O. bona fortasse. S I. & vultu Sofia  
 Adeo modesto, adeo venusto, ut nil supra.  
 Quia tum mihi lamentari praeter caeteras  
 Visa est, & quia erat forma praeter caeteras 95  
 Honestae & liberali, accedo ad pedisequas.  
 Quae sit, rogo. sororem esse aiunt Chrysidis.  
 Percussit illico animum, At at, hoc illud est:  
 Hinc illae lacrumae: haec illa est misericordia.  
 S O. Quam timeo, quorsum evadas. S I. funus interim 100  
 Procedit. sequimur, ad sepulchrum venimus.  
 In ignem posita est. fletur. Interea haec foror,  
 Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius  
 Sati' cum periclo. ibi tum exanimatus Pamphilus  
 Bene dissimulatum amorem, & coelatum, indicat. 105  
 Adcurrit, mediam mulierem complectitur.  
 Mea Glycerium (inquit) quid agis? cur te is perditum?  
 Tum illa (ut consuetum facile amorem cerneret)  
 Reiecit se in eum flens, quam familiariter.  
 S O. Quid ais? S I. redeo inde iratus, atque aegre ferens. 110  
 Nec satis ad obiurgandum causae. diceret,  
 Quid feci, quid commerui, aut peccavi pater?  
 Quae sese voluit in ignem iniicere, prohibui,  
 Servavi. honesta oratio est. S O. recte putas.  
 Nam si illum obiurges, vitae qui auxilium tulit, 115  
 Quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum?  
 S I. Venit Chremes postridie ad me, clamitans  
 Indignum facinus comperisse: Pamphilum  
 Pro uxore habere hanc peregrinam, illi ego sedulo  
 Negare factum. ille instat factum. denique 120  
 Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam  
 Neget daturum. S O. non tu ibi gnatum? S I. ne haec quidem  
 Sati'



Sati' vehemens causa ad obiurgandum. S O. qui cedo?  
 S I. Tute ipse iis rebus finem praescripsisti pater:  
 Prope adest, quum alieno more vivendum est mihi.  
 Sine nunc meo me vivere interea modo.  
 S O. Qui igitur relictus est obiurgandi locus?  
 S I. Si propter amorem uxorem nolit ducere,  
 Ea primum ab illo animadvertenda iniuria est.  
 Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias,  
 Vera obiurgandi causa sit, si deneget:  
 Simul sceleratus Davos, si quid consili  
 Habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli.  
 Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia  
 Facturum, magis id adeo, mihi ut incommodet,  
 Quam ut obsequatur gnato. S O. quapropter? S I. rogas?  
 Mala mens, malus animus. quem quidem ego si sensero.  
 Sed quid opu' est verbis: sin eveniat (quod volo)  
 In Pamphilo ut nil sit morae: restat Chremes,  
 Qui mi exorandus est: & spero consore.  
 Nunc tuum est officium, has bene ut adsimiles nuptias:  
 Perterrefacias Davom: observes filium,  
 Quid agat, quid cum illo consilii captet. S O. fat est:  
 Curabo. eamus iam nunc intro. S I. I prae, sequar.  
 Non dubium est, quin uxorem nolit filius:  
 Ita Davom modo timere sensi, ubi nuptias  
 Futuras esse audivit. sed ipse exit foras.

ACT. I. SCENA II.

ARG. De amore filii quaerit Simo de Davo: quem tum precibus,  
 tum minis conatur revocare a consilio disturbandarum nuptia-  
 rum. Ita perterrefactus Davus secum deliberat Pamphi-  
 lum ne adiutet, an auscultet seni.

DAVOS. servus. SIMO.

Octonarius Iamb.

D. Mirabar, hoc si sic abiret: & heri semper lenitas

Quaternarius.

Verebar quorsum evaderet.

Octonarii Iamb.

Qui postquam audierat, non datum iri filio uxorem suo,  
 Nunquam cuiquam nostrum verbum fecit, neque id aegre tulit.

Troch. oct. cat.

S. At nunc faciet: neque (ut opinor) sine tuo magno malo.

Oct. Iamb.

D. Id voluit, nos sic nec opinanteis duci falso gaudio,  
 Sperantes iam amoto metu, interea oscitantes opprimi,  
 Ut ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias.

Astute. S. Carnifex quae loquitur. D. herus est, neque praevideram.

S. Dave: D. hem, quid est? S. ehodum ad me. D. quid hic volt? 10

S. quid ais? D. qua de re? S. rogas?

Meum gnatum rumor est amare. D. id populus curat scilicet.

S. Hoccine agis, an non? D. ego vero isthuc. S. sed nunc ea me  
 exquirere,

Iniqui patris est. Nam quod antehac fecit, nihil ad me attinet,

Dum tempus eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum.

Nunc, hic dies, aliam vitam adfert, alios mores postulat.

Dehinc postulo, sive aequum est, te oro Dave, ut redeat iam in viam.

V v v v v v

D. Hoc

ad Brutum. Gravi-  
 ter ferre sine casu  
 dicat. Quem cum a  
 125 me dimittens gravi-  
 ter ferrem hoc leva-  
 bar uno. Idem ad  
 Q. Fratrem, Est mi-  
 bi quidem in hac  
 re aegrius ferendum.  
 130 quam tibi.  
 Dederit.) Dare pro  
 facere. Sic in Adel.  
 O Aescbine pol haud  
 paternum isthuc de-  
 disti.  
 135 Peregrinam.) Me-  
 rettricem.  
 Sedulo.) Non ut filii  
 libidinem occulta-  
 rem, sed quia factum  
 non putabam. Ala  
 bonne soy. Sic act.  
 140 III. Sc. prima, Pa-  
 rum successit quod  
 ago, at facio sedulo.  
 Tute ipse iis rebus.)  
 Ita eum sce. II. Simo,  
 Dum tempus ad eam  
 145 rem, tulit, sivi ani-  
 mum ut expleret  
 suum, Nunc hic dies  
 aliam vitam adfert,  
 alios mores postulat,  
 Alieno.) uxoris.  
 Uxorem nolit ducere)  
 Plena locutio uxorem  
 nolit ducere domum,  
 Et nunc id operam.)  
 Senis consilium,  
 Vera.) Iusta & aequa.  
 CICERO ad Atticum,  
 quid veri iisquam in  
 iudicium venire, qui  
 ob rem iudicandam  
 pecuniam acceperit.  
 Vide act. III. Sc. I.  
 Id adeo.) Certe.  
 Incommodet.) Volun-  
 tati meae adversetur,  
 Nunc tuum.) Quid  
 facere Sossiam velit.  
 Sed.) D. eliditur.

Neque id aegre tu-  
 lit.) Neque id aegre  
 se ferre ostendit.

5

Hoccine agis.) At-  
 tendis. Sic in Ennu.  
 Hoc agite amabo.  
 Sic PLAUTVS, Hoc  
 15 agite sultis specta-  
 res.



Qui.) Diffylabum.

Aegrotum.) aegrum.  
Sic in *Heautont*. Neque ut aegrotum animum decuit adolescentuli.

Callidus.) CICERO III. de *Natu. Deorum*, Versutos eos appello, quorum mens celeriter versatur, callidos autem quorum tanquam manus opere, sic animus usu concalluit.

In *pistrinum*.) CICERO ad *Q. Fratrem* epistola cuius initium est, *Stathius venit*, Et cum, inquit, fugitivum esse postea ex *Aesopi* literis cognosceret, hominem comprehendi iussit, & in *custodiam Ephesti* tradidit: sed in publicam ne an in *pistrinum*, non satis ex literis eius intelligere potuimus.

Ipsam rem modo.) Nihil praeter ipsam rem.

Circuitione.) Quinque tantum hoc loco est syllabarum.

Servat.) observat.  
Causam.) Colorem aliquem praetenderit, ita in *Pbor. Puer* causa erit mittundi.

Tollere.) Non exponere.

Mi.) Corripit hoc loco videtur. I in fine dictionis saepe corripit. TERENTIUS: nam & *Vivendi*, & *Abi* & *Omni*, postremis brevibus dicit,

D. Hoc quid fit? S. Omnes qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt,

D. Ita aiunt. S. tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum, Ipsum animum aegrotum ad deteriores partes plerumque applicat. 20

D. Non hercle intellego. S. non? hem. D. non: DAVVS sum, non Oedipus.

S. Nempe ergo aperte vis, quae restant, me loqui? D. sane quidem.

*Senarii tres.*

S. Si sensero hodie quidquam in iis te nuptiis

Fallaciae conari, quo fiant minus:

Aut velle in ea re ostendere, quam sis callidus: 25

*Oct. Iambici.*

Verberibus caesum te in *pistrinum* Dave dedam usque ad necem,

Ea lege, atque omine, ut si te inde exemerim, ego pro te molam.

Quid hoc? intellexi? an nondum etiam ne hoc quidem? D. immo callide.

Ita aperte ipsam rem modo locutus nil circuitione usus es.

S. Vbivis facilius passus sim, quam in hac re, me deludier. 30

D. Bona verba quaeso. S. irrides, nil me fallis. sed dico tibi, Ne temere facias, neque tu hoc dicas tibi non praedictum: cave.

D. Enimvero Dave. nihil loci est segnitiae, neque socordiae, Quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis.

Quae si non astu providentur, me, aut herum pessundabunt. 35

Nec quid agam, certum est: Pamphilumne adiutem, an auscultem seni.

Si illum relinquo, eius vitae timeo: huius, si opitulor, minas.

Cui verba dare difficile est. primum, iam de amore hoc comperit.

Me infensus servat, ne quam faciam in nuptiis fallaciam.

Si senserit, perii. aut si libitum fuerit, causam ceperit, 40

Quo iure quaque iniuria praecipitem in *pistrinum* dabit.

*Senarii.*

Ad haec mala hoc mi accedit etiam: haec Andria,

Sive uxor, sive amica est: gravida e Pamphilo est.

Audireque eorum est operae pretium audaciam.

Nam inceptio est amentium, haud amantium. 45

Quicquid peperisset, decreverunt tollere.

Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam,

Civem Atticam esse hanc: fuit olim quidam senex

Mercator: navem is fregit apud Andrum insulam.

Is obiit mortem: ibi tum hanc eiectam, Chrysidis 50

Patrem recepisse orbam, parvam. fabulae.

*Oct. Iambicus.*

Mi quidem hercle non fit verisimile: atque ipsis commentum placet.

*Senarius.*

Sed Mysis ab ea egreditur. at ego hinc me ad forum, ut

*Octo. Iambicus.*

Conveniam Pamphilum: ne de hac re pater imprudentem opprimat.

## ACT. I. SCENA III.

ARG. Mysis exiens a Glycerio, ut obstetricem arcersat, videt exanimatum Pamphilum, hominem operitur, ut eius turbae causam intelligat.

MYSIS ancilla.

*Octo. Iambici.*

AVDIVI Archillis iam dudum, iubes adduci Lesbiam.

Sane pol illa temulenta est mulier, & temeraria:

Neque



Neque satis digna, cui committas primo partu mulierem.

*Trochaici oct. Catalectici.*

Tamen eam adducam. Importunitatem spectate aniculae.  
Quia compotrix eius est. Di date facultatem obsecro,  
Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum.

5 *Anicu.) Tribrachys pro Trocheo.*

*Oct. Iambici.*

Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor quid fiet.  
Opperiatur, ut sciam nunquid nam haec turba tristitiae adferat.

ACT. I. SCENA IV.

ARG. Pamphilus multa de patre, multa de Chremete queritur:  
Mysidique fidem se Glycerio servaturum pollicetur, vel invito  
patre, si res ita exigat.

PAMPHILVS *adolescens* MYSIS.

*Octonarius Iamb.*

P. HOC CINE factum est humanum, aut inceptum? hoc cine officium patris?

*Binarius.*

M. Quid illud est?

*Oct. Iambici.*

P. Pro deum atque hominum fidem, quid est, si non hoc contumelia est.

*Illud.)* Quod Pamphilus humanum factum esse negat.

Vxorem decrevit dare sese mi hodie; nonne oportuit Praescisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?

M. Miseram me, quod verbum audio. P. Quid Chremes, qui denegaverat.

Se commissurum mihi gnatam suam uxorem: mutavit id, Quoniam me immutatum videt. Itane obstinate dat operam, ut Me a Glycerio miserum abstrahat? quod si fit pereo funditus. Adeon' hominem invenustum esse aut infelicem quemquam, ut ego sum?

10 *Invenustum) infelicem. Itali dicunt Disgratiato.*

*Senarii.*

Pro deum atque hominum fidem, nullo ego Chremis Adfinitatem pacto effugere potero? quot modis Contemptus, spretus? facta, transacta omnia. hem, Repudiatus repeto? quam ob rem? nisi si id est, Quod suspicor, monstri aliquid alunt: ea quoniam Obrudi nemini potest, ad me itur. M. haec Oratio me miseram exanimavit metu.

15 *Nisi) posteriore producta. Monstri aliquid alunt.) filiam habent deformem.*

*Quaternarius.*

P. Nam quid ego dicam de patre? ah,

*Octo. Iamb.*

Tantamne rem tam neglegenter agere? praeteriens modo Mihi apud forum, Vxor tibi ducenda est Pamphile hodie, inquit: para. 20

Abi domum. Id mihi visu' est dicere, Abi cito, & suspende te.

Obstupui: censent' ullum me verbum potuisse proloqui?

Aut ullam causam, ineptam saltem, falsam, iniquam? obmutui.

*Causam) excusationem.*

Quod si ego prius id rescissem, quid facerem, si quis nunc me roget?

Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. sed quid nunc primum exequar? 25

Impediunt me tot curae, quae meum animum diversae trahunt:

Amor, huius misericordia, nuptiarum sollicitatio:

Tum patri' pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc,

Quae meo cunque animo libitum est, facere: sine ego ut adveser?

*Quae meo cunque.) Ita CICERO IIII. de In-*

hei mihi,



*cunque visum ages.  
Ita II. Tusc. quaest.  
Quo ea me cunque  
ducet, sequar.*

*Miseram.)* Innocentem. Ciceroni & Terentio dictio familiaris.

*Consuetudo.)* In stupro dicitur consuetudo. Vide act. II. Sc. III.  
*Pudor.)* officii ratio.

*Quod ego te.)* Sic VIRGIL. Quod te per superos & conscia numina veri Oro, hoc est, quamobrem.

*Hanc mihi in manum dat.)* Genus hoc matrimonii quando mulier in viri manum convenit, Coemptio dicitur.

*Ne ad morbum.)* Versus hic finitur initio act. sequentis.

*Sic.)* breviter dictum.  
*Audivi.)* Audii dices metiendo versu.  
*Timore.)* Senarii huius ultima vocalis absumitur a prima vocali sequentis versus.  
*Adempta.)* Senarii huius ultima syllaba inchoat sequentem versum.

Incertum est quid agam. M. misera timeo hoc incertum quorsum accidat. 30

Sed nunc peropu' est, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa adversum hunc loqui.

DVM in dubio est animus, paulo momento huc, illuc impellitur.

P. Quis hic loquitur? Myfis salve. M. o salve Pamphile P. quid agit? M. rogas?

Laborat e dolore: atque ex hoc misera sollicita est, diem

Quia olim in hunc sunt constitutae nuptiae. tum autem hoc timet, 35

Ne deferas se. P. hem, egone isthuc conari queam?

Ego propter me illam decipi miseram sinam?

Quae mihi suum animum, atque omnem vitam credidit:

Quam ego animo egregie charam pro uxore habuerim:

Bene & pudice doctum, atque eductum, sinam 40

Coactum egestate ingenium immutarier?

Non faciam. M. haud vereor, si in te solo sit situm:

Sed vim ut queas ferre. P. adeon' me ignavom putas?

Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum,

Vt neque me consuetudo, neque amor, neque pudor 45

Commoveat, neque commoneat, ut servem fidem?

M. Vnum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui.

P. Memor essem? o Myfis, Myfis, etiam nunc mihi

Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis

De Glycerio, iam ferme moriens me vocat. 50

Accessi: vos femotae: nos soli: incipit.

Mi Pamphile, huius formam, atque aetatem vides.

Nec clam te est, quam illi utraque res inutiles

Et ad pudicitiam, & tutandam rem sient.

Quod ego per hanc te dextram oro, & genium tuum, 55

Per tuam fidem, perque huius solitudinem

Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deferas:

Si te in germani fratris dilexi loco,

Sive haec te solum semper fecit maximi,

Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus. 60

Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem.

Bona nostra haec tibi committo, & tuae mando fidei.

Hanc mi in manum dat. mors continuo ipsam occupat.

Accepi: acceptam servabo. M. ita spero quidem

P. Sed cur tu abi' ab illa? M. obstetricem arcerfo. P. propera; 65

Atque audin? verbum unum cave de nuptiis,

Ne ad morbum hoc etiam. M. teneo.

## ACT. II. SCENA I.

ARG. *Intelligit Carinus de servo suo Byrria, nuptum eo die dari Pamphilo Philumenam, quam ipse misere uxorem cupiebat.*

CARINVS *adolescens.* BYRRIA *servus.*

*Finis praecedentis Senarii.*

C. QUID ais Byrria?

Datur ne illa hodie Pamphilo nuptum? B. sic est.

C. Qui scis. B. apud forum modo de Davo audivi.

C. Vae misero mihi, ut animus in spe atque in timore

Vsque antehac attentus fuit: ita postquam adempta 5

Spes est, lassus, cura confectus stupet.

*Octo. Iamb. acat.*

B. Quaeso aedepol Carine, quoniam id fieri quod vis, non potest,

Velis id quod possit. C. nil aliud, nisi Philumenam volo. B. Ah. 6

Se-



*Senarii Iamb.*

Quanto satius est, te id dare operam qui istum amorem  
Ex animo dimoveas tuo, quam id loqui,  
Quo magi' libido frustra incendatur tua?

*Oct. Iamb. acat.*

C. FACILE OMNES, quum valemus recta consilia aegrotis damus:  
Tu si hic sis, aliter sentias. B. age age, ut lubet. C. sed Pamphilum  
Video. omnia experiri certum est prius quam pereo. B. quid hic agit?  
C. Ipsum hunc orabo: huic supplicabo, amorem huic narrabo  
meum.

Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis protrahat dies.  
Interea fiet aliquid spero. B. id aliquid nihil est. C. Byrria,  
Quid tibi videtur? adeon' ad eum? B. quid ni? si nihil impetres,  
Ut te arbitretur sibi paratum moechum, si illam duxerit.

*Troch. oct. cat.*

C. Abin' hinc in malam crucem cum suspicione isthac, scelus.

## ACT. II. SCENA II.

ARG. Pamphilus quid sibi ad nuptias sit animi Carino narrat:  
eumque hortatur efficiat aliquid, fingat, inveniat ei qui detur  
Philumena, se id acturum, sibi qui ne detur.

PAMPHILVS, CARINVS, BYRRIA.

P. Carinum video. salve Carine. C. o salve Pamphile,  
Ad te venio, spem, salutem, auxilium, consilium expetens.

P. Neque pol auxiliis locum habeo, neque consilii copiam.

Sed istud quidnam est? C. hodie uxorem ducis? P. aiunt. C. Pamphile,  
Si id facis, hodie postremum me vides. C. quid ita. C. hei mihi  
Vereor dicere: huic dic quaeso, Byrria. B. ego dicam. P. quid est?  
B. Sponsam hic tuam amat. P. nae iste haud mecum sentit. eho-  
dum dic mihi,

Num quid nam ampliu' tibi cum illa fuit, Carine? C. ah Pamphile,  
Nil. P. quam vellem. C. Nunc te per amicitiam, & per amorem  
obsecro,

Principio, ut ne ducas. P. dabo equidem operam. C. sed si id non  
potest,

Aut tibi nuptiae hae sunt cordi, P. cordi? C. saltem aliquot dies

Profer, dum proficiscor aliquo ne videam. P. audi nunc iam

Ego, Carine, neutiquam officium esse liberi puto,

Cum is nil promereat, postulare id gratiae apponi sibi:

Nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipiscier.

C. Reddidisti animum. P. nunc si quid potes, aut tu, aut hic Byrria,

Facite, fingite, invenite, efficite, qui detur tibi.

Ego id agam, mihi qui ne detur. C. sat habeo. P. Davom optume

Video, cuius consilio fretus sum. C. at tu hercle haud quicquam mihi,

Nisi ea quae nihil opu' sunt scire. fugin' hinc? B. ego vero ac lubens.

## ACT. II. SCENA III.

ARG. Persuadet Davus Pamphilo, ut se patri ducturum uxorem dicat,  
quando sibi certum, exploratumque sit a patre simulari nuptias:  
itaque Carino spes aliqua obiicitur ducendae Philumena.

DAVVS. CARINVS. PAMPHILVS.

*Troch. oct. cat.*

D. Di boni, boni quid porto: sed ubi inveniam Pamphilum,  
Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio?

X x x x x

C. Laetus

Amorem.) Vlt voca-  
lis senarii huius a pri-  
ma sequentis versus  
10 vocali absumitur.

Quam.) Dissyllabum,  
ut act. I. Sc. II. Qui  
Sed Pamphilum vi-  
deo.) Non est putan-  
dum, mansisse in pro-  
scenio tacitum Pam-  
philum, ex actu su-  
periore: sed dimissa  
15 Myside domum in-  
gressum iterum hunc  
egredi.

Quid hic agit?) Infa-  
nre videtur Byrriae  
Carinus, qui Pamphi-  
lo indicare amorem  
suum velit, a quo  
impetrari quidquam  
posse spes nulla osten-  
debatur.

Protrahat.) Dissylla-  
bum. alii libri Prodat.  
Paratum.) Certum.  
Causam autem affert  
Byrria, cur narrare  
Pamphilo amorem  
suum Carinus debeat,  
qua deterreri potius  
debeat Carinus, ne  
narret.

10 Sed.) D. eliditur.

Potest.) Subauditur,  
Fieri. Sic TEREN-  
TIVS sexcentis locis,  
Sic CICERO in Ver-  
rem lib. IIII. Qui id  
potest, qui ne ex viro  
quidem audire potue-  
ris?

15 Postulare.) Trisylla-  
bum.

Optume.) Per oppor-  
tune.



C. Laetus est, nescio quid. P. nihil est. nondum haec rescivit mala.

D. Quem ego nunc credo, si iam audierit sibi paratas nuptias.

C. Audin' tu illum? D. toto me oppido exanimatum quaerere. 5

Sed ubi quaeram, aut quo nunc primum intendam? C. cessas adloqui?

D. Abeo. P. Dave ades, resiste. D. quis homo est, qui me? 0

Pamphile,

Te ipsum quaero. euge o Carine. ambo opportune. vos volo.

P. Dave, perii D. quin tu hoc audi. P. interii. D. quid timeas, scio.

C. Mea quidem hercle in dubio est vita. D. & tu quid, scio. 10

P. Nuptiae mihi. D. & id scio. P. hodie. D. obtundis, tametsi intellego.

Id paves, ne ducas tu illam: tu autem, ut ducas. C. rem tenes.

P. Isthuc ipsum. D. atque isthuc ipsum, nil periculi est: me vide.

P. Obsecro te, quam primum hoc me libera miserum metu. D. hem,

Libero, uxorem tibi iam non dat Chremes. P. qui scis? D. scio. 15

Tuus pater modo me apprehendit. ait tibi uxorem dare

Se hodie: item alia multa, quae nunc non est narrandi locus:

Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi haec.

Vbi te non invenio, ibi ascendo in quendam excelsum locum:

Circumspicio: nusquam. forte ibi huius video Byrriam: 20

Rogo: negat vidisse: mihi molestum: quid agam, cogito.

Redeunti interea ex ipsa re mihi incidit suspectio: hem,

Paululum obsoni: ipse tristis: de improviso nuptiae

Non cohaerent. P. quorsumnam isthuc? D. ego me continuo ad

Chremem.

Quum illo advenio, solitudo ante ostium. iam id gaudeo. 25

C. Recte dicis. P. perge. D. maneo, interea introire neminem

Video, exire neminem, matronam nullam, in aedibus

Nihil ornati. nil tumulti. accessi, introspexi. P. scio:

Magnum signum. D. num videntur convenire haec nuptiis?

P. Non opinor, Dave. D. opinor narras? non recte accipis, 30

Certa res est: etiam puerum inde abiens conveni Chremis

Olera, & pisciculos minutos ferre obolo in coenam seni

C. Liberatus sum Dave hodie tua opera. D. at nullus quidem.

C. Quid ita? nempe huic prorsus illam non dat. D. rediculum caput: 35

Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere.

Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. C. bene mones

Ibo, etsi hercle saepe iam haec spes me frustrata est. vale.

P. Quid igitur sibi volt pater? cur simulat? D. ego dicam tibi;

Si id succenseat nunc, quia non det tibi uxorem Chremes,

Ipsu' sibi esse iniurius videatur, neque id iniuria. 40

Prius quam tuum animum, ut sese habeat ad nuptias, perspexerit.

Sed si tu negaris ducere, ibi, culpam in te transferet.

Tum illae turbae fient. P. Quid? vis patiar? D. pater est, Pam-

phile:

Difficile est, tum haec sola est mulier. dictum ac factum, invenerit

Aliquam causam, quamobrem eiiciat oppido. P. eiiciat? D. Cito. 45

P. Cedo igitur, quid faciam Dave? dic te ducturum. P. hem? D.

quid est?

### Senarii.

P. Ego dicam? D. cur non? P. nunquam faciam. D. ne nega.

P. Suadere noli. D. ex ea re quid fiat vide.

P. Ut ab illa excludar, hac concludar. D. non ita est.

Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem, 50

Ducas volo hodie uxorem: tu, ducam, inquires.

Cedo, quid iurgabit tecum? hic reddes omnia

Quae nunc sunt certa ei consilia, incerta ut fient,

Sine omni periculo: nam hocce haud dubium est, quin Chremes

Tibi non det gnatam. nec tu ea causa minueris 55

Haec quae facis: ne is mutet suam sententiam.

08.

Modo.) Act. I. sc. II.

Paululum obsoni.) Davus unus ex iis servis erat, quibus Simo imperarat ut intro obsonia auferrent.

Solitudo ante ostium.) Cum in nuptiis turbam prae foribus sponsam expectare moris esset.

Introire.) Diffyllabum.

Nullus) Non. CICE-RO ad At. Sed quia certe id ageret, ab armisque nullus discederet. Rurfus eodem lib. ad M. Caecilium, Nullus tu quidem domum.

Bene mo.) Trib. pro Trocheo.

Omni peri.) Anapaestus.

Haec quae facis.) Glycerii domum frequentare.



*Oct. Iamb. acat.*

Patri dic velle: ut cum velit, tibi iure trāsci non queat.  
 Nam quod tu speras, propulsabo facile: uxorem iis moribus  
 Dabit nemo. inveniet inopen potius, quam te corruppi sinat.  
 Sed si te aequo animo ferre accipiet, negligentem feceris  
 Alia otiosus quaeret: interea aliquid acciderit boni.  
 P. Ita credis? D. haud dubium id quidem est. P. vide quo inducas.  
 D. quin races?  
 P. Dicam. puer autem ne resciscat mi esse ab illa, cautio est.  
 Nam pollicitus sum suscepturum. D. o facinus audax. P. hanc fidem  
 Sibi me obsecravit, qui se sciret non deserturum, ut darem.  
 D. Curabitur. sed pater adest, cave te esse tristem sentiat.

*Ne is mutet suam sententiam.)* Ne Chremes si te videat respuisse, velit tibi dare rursus gnatam.  
 60 *Inveniet) Pater tuus.*  
*Cautio est.)* Providendum nobis est. CICERO ad At. *Etsi pene praeterii chartam tibi deesse: mea cautio est, siquidem eius inopia minus multa ad me scribis. O facinus audax.)* Quoniam haeredem dabat patri invito: quod per leges non licet.  
*Fidem.)* Pignus assurance.

Notatu dignum id putavi, quod in illo Trochaico observavimus, *Etiam puerum inde abiens conveni Chremis Olera & pisciculos minutos ferre obolo in coenam seni, Convenire pro, Invenire, & Occurrere sumi: quemadmodum & in illo Eunuchi, Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc atque ordinis, CICERO in Catone maiore, Itaque nemo adhuc me convenire valuit, quin fuerim occupatus, Eodem item lib: Equidem efferor studio patres vestros, quos colui & dilexi, videndi: neque eos vero solum convenire aveo, quos ipse cognovi, sed illos etiam de quibus audivi, legi, & ipse conscripsi.* Quo in loco Convenire interpretatur THEODORVS *ἐπιεῖν*: quod Graecis est *invenire*: ubi nos aberrasse THEODORVM olim putavimus. TERENTII illud in *Haecyra* aperte demonstrat, eam esse verbi significationem. Pam. *In arcem transcurso est opus.* Par. *cui homini?* Pam. *tibi.* Par. *In arcem? quid eo?* Pam. *Callidemidem hospitem Myconium, qui mecum una advectus est, conveni.* Quid *Cessas?* Par. *quid vis dicam? an conveniam modo?* Quod autem *pisculos minutos* dicit, non est putandum genus aliquot esse piscium, qui *Minuti* vocentur. Eodem modo dicit CICERO *lib. III. in Verrem, Quid Agrigento? nonne eiusdem P. Scipionis monumentum signum pulcherrimum Apollinis, cuius in foemore literulis minutis argenteis nomen Myronis erat inscriptum.* Ac aliquanto post, *Duo sigilla perparvula dixit.*

ACT. II. SCENA IV.

ARG. *Revisit Simo, quid cum Davo Pamphilus captet consilii. Pamphilum monet Davus, ne se patri ducturum neget.*

SIMO. DAVOS. PAMPHILVS.

*Senarii.*

S. REVISO quid agant: aut quid captent consilii.  
 D. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.  
 Venit meditatus alicunde ex solo loco:  
 Orationem sperat invenisse se,  
 Qua differat te. proin tu face, apud te ut sies.  
 P. Modo ut possim. D. crede mihi hoc inquam Pamphile,  
 Nunquam hodie tecum commutaturum patrem  
 Vnum esse verbum, si te dices ducere.

*Sperat.)* Putat.

ACT. II. SCENA V.

ARG. *Byrria servus Carini observare iussus ab hero, quid Pamphilus de nuptiis ageret, audit respondentem patri Pamphilum ducturum se uxorem. Confirmat deinde Simoni Davus filio nihil molestas esse nuptias; verba tamen iniicit, unde sentire possit Senex suum de simulandis nuptiis consilium non ignorari.*

BYRRIA. SIMO. DAVVS. PAMPHILVS.

*Senarii.*

B. HERV' me relictis rebus, iussit Pamphilum  
 Hodie observare: ut quid ageret de nuptiis,

X x x x x x 2

Scirem,



*Id propterea.)* Sic  
ad. iii. Sc. v. *Ea res*  
*est propterea quod.*  
*Hunc venientem )* Si-  
monem.  
*Quasi.)* Posteriore  
producta.

*Nullane.)* Dum ad  
spectatores loquitur  
Byrria, necesse est  
tacitos manere Simo-  
nem & Davum: quod  
nescio, quam ex arte  
fiat.

*Nuptiae.)* Videtur  
divisione diphthongi  
quatuor fieri syllaba-  
rum: altera siquidem  
vocalis initium est  
versus sequentis.  
*Consuetudinem.)*  
Consuetudo in stupro  
est. Vnde in *Adel.*  
*Quid illi tandem cre-*  
*ditis fore animi mi-*  
*sero, qui cum illa con-*  
*sueverit.*

*Licitum est ei.)* Per  
te licuit.

*Virum fortem.)* Vir  
fortis, qui infamiam  
timet. *Homme de bon*  
*coeur.*

*Sed.)* Eliditur D. ut  
in illo *Sc. primae,*  
*Sed ipse exit foras.*  
Et in eo quod sequi-  
tur, *Quid est?*

*Obsonatus est.)* Ob-  
sonia emit. In *Adelp.*  
active dixit, *Obsona-*  
*re Sc. ult. Ad. ult.*

*Aequalium.)* Aequa-  
les, qui aetate sunt  
pares.

*Hic.)* Inter nos, ab-  
sente Pamphilo.

*Commovi.)* Sic in  
*Heaut.* Dormiunt,  
ego eos hodie commo-  
vebo.

*Simo, Davos.)* Duas  
has personas ex actu  
superiore reliquit po-  
eta in hunc actum:  
quam ex arte, vide-  
rint alii.

Scirem, id propterea nunc hunc venientem sequor.

Ipsum adeo praesto video cum Davo. hoc agam.

S. Vtrumque adesse video. D. hem serva. S. Pamphile. 5

D. Quasi de improvviso respice ad eum. P. hem pater.

D. Probe. S. hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.

B. Nunc nostrae parti timeo, quid hic respondeat.

P. Neque isthic, neque alibi tibi usquam erit in me mora. B. hem. 10

D. Obmutuit. B. quid dixit? S. facis, ut te decet,

Quum isthuc quod postulo, impetro cum gratia.

D. Sum verus? B. herus, quantum audio, uxore excidit.

S. I iam nunc intro, ne in mora, quum opu' sit fies.

P. Eo. B. nullane in re esse homini cuiquam fidem? 15

Verum illud verbum est, volgo quod dici solet,

OMNES SIBI melius malle esse, quam alteri.

Ego illam vidi virginem: forma bona

Memini videre. quo aequior sum Pamphilo,

Si se illam in somnis, quam illum amplecti maluit.

Renuntiabo, ut pro hoc malo mihi det malum. 20

D. Hic, nunc me credit aliquam sibi fallaciam

Portare, & ea me hic restitisse gratia.

S. Quid Davus narrat? D. aequae quidquam nunc quidem.

S. Nilne? hem. D. nil profus. S. atqui expectabam quidem.

D. Praeter spem evenit, sentio: hoc male habet virum. 25

S. Potin es mihi verum dicere? D. nihil facilius.

S. Num illi molestae quidpiam hae sunt nuptiae,

Propter hospitae huius ce consuetudinem?

D. Nihil hercle, aut si adeo, bidui aut tridui

Haec sollicitudo: nostin'? deinde desinet. 30

Etenim eam secum rem recta reputavit via.

S. Laudo. D. dum licitum est ei, dumque aetas tulit,

Amavit, tum id clam. cavit, ne unquam infamiae

Ea res sibi esset, ut virum fortem decet.

Nunc uxore opus est: animum ad uxorem appulit. 35

S. Subtristis visu' est esse aliquantulum mihi.

D. Nil propter hanc rem: sed est quod tibi succenseat.

S. Quidnam est? D. puerile est. S. quid est? D. nihil.

S. quin dic quid est.

D. Ait nimium parce facere sumptum. S. mene? D. te. 40

Vix, inquit, drachmis obsonatus est decem.

Num filio videtur uxorem dare?

Quem (inquit) vocabo ad coenam meorum aequalium

Potissimum nunc? &, quod dicendum hic fiet,

Tu quoque perparce nimium. non laudo. S. tace. 45

D. Commovi. S. ego isthaec recte ut fiant, videro.

Quidnam hoc rei est; quidnam hic volt veterator sibi?

Nam si hic mali est quidquam, hem illic est huic rei caput.

## ACT. III. SCENA I.

ARG. *Simo se ipse fallit, dum partum simulari credit, qui*  
*verus erat.*

MYSIS. SIMO. DAVOS. LESBIA *obstetrix.*

GLYCERIVM *meretrix.*

*Senarii.*

M. ITA POL quidem res est, ut dixi, Lesbia.

Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.

S. Ab Andria est ancilla haec. quid narras? D. ita est.

M. Sed



M. Sed hic Pamphilus. S. quid dicit? M. firmavit fidem. S. hem.

D. Vtinam aut hic surdus, aut haec muta facta sit.

M. Nam quod peperisset, iussit tolli. S. o Iupiter,

Quid ego audio? actum est, si quidem haec vera praedicat.

L. Bonum ingenium narras adolescenti. M. optimum;

Sed sequere me intro, ne in mora illi sis. L. sequor.

D. Quod remedium nunc huic malo inveniam? S. quid hoc?

Adeon' est demens? ex peregrina? iam scio. ah

Vix tandem sensi stolidu'. D. quid hic sensisse ait?

S. Haec primum adfertur iam mihi ab hoc fallacia:

Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant.

G. Iuno Lucina fer opem: serva me obsecro.

S. Hui, tam cito? ridiculum. postquam ante ostium

Me audivit stare, appropinquat. non sat commode

Divisa sunt temporibus tibi Dave haec. D. mihi?

S. Num immemor es discipuli? D. ego, quid narres, nescio.

S. Hiccine me si imparatum in veris nuptiis

Adortus esset, quos mihi ludos redderet.

Nunc huius periculo fit: ego IN PORTU NAVIGO.

5

10

15

20

*Bonum.) Clemens & misericors.*

*Ex peregrina.) Ex meretrice. Non credit Simo tam esse dementem Pamphilum, ut quod suscepisset ex meretrice, iusserit tolli: itaque simulari partum coniicit.*

*Iuno Lucina.) Hac eadem invocatione uti facit parturientem in Adel. oblitus scribere se palliatis fabulas. CICERO enim in de natu. deorum testis est, Graecos ad partus non adhibuisse Iunonem Lucinam, sed Dianam Luciferam. CICERONIS verba haec sunt. Itaque ut apud Graecos Dianam eamque Luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo invocant.*

*Extrema syllaba primi versus sequentem inchoat.*

*Extrema syllaba Tertii versus sequentem versum inchoat.*

ACT. III. SCENA II.

ARG. Simonem pene impellit Davus, ut credat nihil eius consilio factum, quin potius id egisse semper, & acturum postea, qui fiant nuptiae.

LESBIA. SIMO. DAVVS.

*Oct. Iambici acat.*

L. ADHVC Archillis quae adsolent, quaeque esse oportet ad salutem Signa, omnia huic esse video. Nunc primum isthaec ut laver

Facite: post deinde quod iussi ei, date bibere, & quantum imperavi,

*Quaternarius.*

Date. mox ego revertar huc.

*Senarius.*

Per aecastor scitu' puer natu' est Pamphilo.

*Oct. Iamb. acat.*

Deos quaeso, ut sit superstes, quando quidem ipse est ingenio bono: Cumque huic veritus est optumae adolescenti facere iniuriam.

S. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te esse ortum? D. quidnam id est?

S. Non imperabat coram, quid opus facto esset puerperae,

Sed postquam egressa est, illis, quae sunt intus, clamat de via.

O Dave, itane contemnor abs te? aut itane tandem idoneus

Tibi videor ego, quem tam aperte fallere incipias dolis?

Saltem accurate, ut metui videar. certe si resciverim.

D. Certe hercle nunc hic se ipse fallit, haud ego. S. edixin' tibi?

Interminatus sum, ne faceres? quid retulit?

*Senarii duo.*

Credon' tibi hoc, nunc peperisse hanc e Pamphilo?

D. Teneo quid erret: quid ego agam, habeo. S. quid taces?

D. Quid credas? quasi non tibi renunciata sint haec sic fore.

S. Mihin' quisquam? D. eho an tute intellexti hoc adsimulari?

S. irrideor.

D. Renunciatum est: nam qui isthaec tibi incidit suspectio?

S. Qui? quia te noram. D. quasi tu dicas factum id consilio meo.

S. Certe enim scio. D. non satis me pernocti etiam, qualis sim, Simo.

Y y y y y

S. Ego-

*Enim.) M. absuntur.*

5

15

20



*Intellextin.)* Partum  
assimulari; quasi gau-  
deat Davus, quod Si-  
mo simulari partum  
intellexerit.

*Mibi.)* Parelcon est.

*Nihil moventur nu-  
ptiae.)* Impediri non  
posse nuptias intelli-  
gebant, nisi puerum  
tu & Chremes videre-  
tis: tum enim demum  
credituros peperisse  
e Pamphilo Glyce-  
rium.

*Adiuturos.)* Alii li-  
bri *adiutores.* Ver-  
balia enim eosdem ca-  
sus regunt, quos ver-  
ba ipsa. Ita CICERO  
dixit, *Fautores bo-  
nori & dignitati in  
era. pro Murena.*

S. Egone te? D. sed siquid narrare occoepe, continuo dari  
Tibi verba censes. S. falso. D. itaque hercle, nihil iam mutire audeo.

*Oct. Iamb. Scazon ad dirimendos versus.*

S. Hoc ego scio unum neminem peperisse hic. D. intellextin? 25  
*Trochaici oct. cat.*

Sed nihilo feciu' mox deserent puerum huc ante ostium:  
Id ego iam nunc tibi renuntio here futurum, ut sis sciens

*Trochaicus oct. Hypercatalecticus.*

Ne tu hoc mihi posterius dicas, Davi factum consilio, aut dolis.  
*Cat.*

Prorsus a me opinionem hanc tuam ego esse amotam volo.

S. Vnde id scis. D. audivi, & credo: multa concurrunt simul, 30

Qui coniecturam hanc nunc facio; iam primum, haec se e Pamphilo  
Gravidam dixit esse. inventum est falsum. nunc post quam videt

Nuptias domi apparari, missa est ancilla illico

Obstetricem, ad eam & puerum ut adferret simul.

Hoc nisi fit, puerum ut tu videas, nil moventur nuptiae. 35

*Quaternarius Trocha. catal.*

S. Quid ais, cum intellexeras

Id consilii capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?

D. Quis igitur eum ab illa abstraxit, nisi ego? nam omnes nos  
quidem

Scimus quam misere hanc amarit. nunc sibi uxorem expetit.

Postremo id mihi da negotii. tu tamen has nuptias 40

Perge facere ita, ut facis. & id spero adiuturos deos.

S. Immo abi intro: ibi me opperire: & quod parato opus est, para.

*Senarii Iamb.*

Non impulit me, haec nunc omnino ut crederem:

Atque haud scio, an quae dixit, sint vera omnia.

Sed parvipendo. illud mihi multo maximum est, 45

Quod mihi pollicitu' est ipse gnatus. Nunc Chremem

Conveniam: orabo gnato uxorem: si impetro,

Quid alias malim, quam hodie has fieri nuptias?

Nam gnatus quod pollicitu' est, haud dubium est mihi id,

Si nolit, quin eum merito possim cogere. 50

Atque adeo in tempore eccum ipsum obviam Chremem.

## ACT. III. SCENA III.

ARG. *Ex falsis nuptiis verae fiunt nuptiae.*

SIMO. CHREMES.

*Oct. Iambici acat.*

S. IVBEO Chremetem. C. o, te ipsum quaerebam. S. & ego te.

C. optato advenis.

Aliquot me adiere, ex te auditum qui aiebant, hodie filiam

Meam nubere tuo gnato: id viso, tunc, an illi infaniant.

S. Ausculta pauci': & quid ego te velim, & tu quod quaeris, scies.

*Quaternarius Iamb. acat.*

C. Ausculto: loquere quid velis. 5

*Senarii.*

S. Per ego deos te oro, & nostram amicitiam, Chreme,

Quae incoepa a parvis cum aetate adcrevit simul:

Perque unicam gnatum tuam, & gnatum meum,

Cuiu' tibi potestas summa servandi datur:

Vt me adiuves in hac re, atque ita, uti nuptiae

10  
Fue-



Fuerant futurae, fiant. C. ah, ne me obsecra:  
 Quasi hoc te orando, a me impetrare oporteat.  
 Alium esse censes nunc me, atque olim, cum dabam?  
 Si in rem est utrique, ut fiant: accersi iube.  
 Sed si ex ea re plus mali est, quam commodi  
 Vtrique: id oro te, in commune ut consulas:  
 Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater.  
 S. Immo ita volo, itaque postulo ut fiat Chreme.  
 Neque postulem abs te, ni ipsa res moneat. C. quid est?  
 S. Irae sunt inter Glycerium, & gnatum. C. audio.  
 S. Ita magnae, ut sperem posse avelli. C. fabulae.  
 S. Profecto sic est. C. sic hercle, ut dicam tibi,  
 AMANTIVM irae, amori' redintegratio est.  
 S. Hem, id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur:  
 Dumque eiu' libido occlusa est contumeliis.  
 Prius quam harum scelera, & lacrumae confictae dolis,  
 Reducant animum aegrotum ad misericordiam,  
 Vxorem demus: spero consuetudine, &  
 Coniugio liberali devictum Chreme,  
 Dehinc facile ex illis sese emersurum malis.  
 C. Tibi ita videtur: at ego non posse arbitror  
 Illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.  
 S. Qui scis ergo isthuc, nisi periculum fecerit. C. at  
 Isthuc periculum in filia fieri, grave est.  
 S. Nempe incommoditas denique huc omnis redit:  
 Si eveniat (quod di prohibant) discessio.  
 At si corrigitur, quot commoditates, vide:  
 Principio, amico filium restitueris:  
 Tibi generum firmum, & filiae invenies virum.  
 C. Quid isthuc? si isthuc animum inducti esse utile,  
 Nolo tibi ullum commodum in me claudier.  
 S. Merito te semper maximi feci Creme.

*Iambici oct. Scazontes.*

C. Sed quid ais? S. quid? C. qui scis eos nunc discordare inter se?  
 S. Ipfus mihi Davos, qui intimus est eorum consiliis, dixit:  
 Et is mi persuadet, nuptias quantum queam ut maturem.  
 Num censes faceret, filium nisi sciret eadem haec velle?  
 Tute adeo iam eius audies verba. heus, evocate huc Davum.  
 Sed eccum video ipsum foras exire.

ACT. III. SCENA IV.

ARG. Sentit Davus quantum imprudens mali admiserit.

DAVVS. SIMO. CHREMES.

*Finis superioris Scazontis.*

D. AD te ibam. S. quidnam est?  
 D. Cur non accersitur? iam advesperascit. S. audin' tu illum?

*Octonarii Iamb.*

Ego dudum nonnil veritus sum Dave abs te, ne faceres idem  
 Quod volgus fervorum solet: dolis ut me deluderet.  
 Propterea quod amat filius. D. egon' isthuc facerem? S. credidi. 5  
 Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicam. D. quid? S. scies:  
 Nam propemodum habeo iam tibi fidem. D. tandem nosti, qui siem.  
 S. Non fuerant nuptiae futurae. D. quid? non? S. sed ea gratia.  
 Simulavi, vos ut pertentarem. D. quid ais? S. sic res est. D. Vide. 10  
 Nunquam quivi ego isthuc intelligere. Vah consilium callidum.

Y y y y y 2

Accersi.) Filiam me-  
 15 am.

20

Sic hercle.) Est.

25

Hem.) Dicis probe.

30

Sese emersurum.)  
 Active quoque CI-  
 CERO. Emergere di-  
 xit in oratione de Ha-  
 ruspicum responsis,  
 Tum ista inquit, ser-  
 pens, quae tum hic  
 delitescit, tum se  
 emergit, & fertur  
 35 illuc. TERENTIUS  
 passivo usus est, Unde  
 emergi non potest.  
 Discessio.) Proprie in  
 ea re dicitur discessio.

35

40

CAELIVS ad Cicero  
 epistol. cuius est ini-  
 tium, Non dubito.  
 Vxor, inquit, a Da-  
 labella discessit.  
 Tibi.) Ut constet Se-  
 narius, sunt qui le-  
 gant Ti, non Tibi.

45

Is.) S. abiicitur; nisi  
 malis esse Hypercat,  
 Scazontem.

Cur non accersitur.)  
 Vxor. Sic Sc. supe-  
 riore; Accersi iube.

Vide.) Admirantis est,  
 & stupentis.  
 Quivi.) Qui dices  
 S. Hoc versum metiens.



S. Hoc audi. ut hinc te iussi introire, opportune hic fit mi obviam.  
D. hem,

Numnam perimus? S. narro, quae tu dudum narraſti mihi:

D. Quidnam audio? S. gnatum ut det, oro, vixque id exoro. D.  
occurri.

S. Hem, quid dixi? D. optume inquam factum. S. nunc per hunc  
nulla est mora.

Ch. Domum modo ibo: ut apparentur, dicam, atque huc re-  
nuntio. 15

S. Nunc te oro Dave, quoniam ſolus mi' effeciſti has nuptias.

D. Ego vero ſolus. S. corrigere mihi gnatum porro enitere.

D. Faciam hercle ſedulo. S. poteſt nunc, dum animus irritatus eſt.

D. Quieſcas. S. age igitur. ubi nunc eſt ipſus? D. mirum, ni do-  
mi eſt.

S. Ibo ad eum, atque eadem haec, quae tibi dixi, dicam eadem  
illi. D. Nullu' ſum. 20

Quid cauſae eſt, quin hinc in piſtrinum recta proficiſcar via?

Nihil eſt preci loci relictum: iam perturbavi omnia:

Herum feſelli: in nuptias conieci herilem filium:

Feci hodie, ut fierent, inſperante hoc, atque invito Pamphilo.

Hem aſtutias. quod ſi quieſſem, nihil eveniſſet mali. 25

*Quaternarius.*

Sed eccum ipſum video. occidi.

*Oct. Iambicus acat.*

Vtinam mihi eſſet aliquid hic, quo nunc me praecipitem darem.

## ACT. III. SCENA V.

*ARG. Animi cruciatur Pamphilus Davi conſiliis coniectum ſe in  
nuptias. Davus ut flagra evitet, magis quam quod putet re-  
medium poſſe aliquod perditae rei adbibere, inventurum ſe  
aliquid pollicetur, quo Pamphilus a nuptiis liberetur.*

### PAMPHILVS. DAVVS.

*Oct. Iamb. acatalectici.*

P. VBI illic ſcelus eſt qui me perdidit? D. perii. P. atque hoc con-  
fiteor,

Iure obtigiſſe, quando quidem tam iners, tam nulli conſili

Sum. ſervon' fortunas meas me commiſiſſe futili?

Ergo pretium ob ſtultitiam fero. ſed inultum nunquam id auferet.

D. Poſthac incolumen ſat ſcio fore me, nunc ſi hoc devito malum. 5

P. Sed quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modo

Qui ſum pollicitus ducere? qua fiducia id facere audeam?

Nec quid me nunc faciam, ſcio. D. Nec quidem me: atque id ago  
ſedulo.

Dicam aliquid iam inventurum, ut huic malo aliquam producam mo-  
ram. P. oh.

D. Viſus ſum. P. chodum bone vir, quid ais? viden' me conſiliis  
tuis 10

Miferum impeditum eſſe? D. at iam expediam. P. expedies? D.  
certe Pamphile.

P. Nempe ut modo. D. immo melius ſpero. P. oh, tibi ego ut  
credam ſurcifer?

Tu rem impeditam, & perditam reſtituas? hem quo fretu' ſim:

Qui me hodie ex tranquilliffima re conieciſti in nuptias.

An non dixi hoc eſſe futurum? D. dixi. P. quid meritis es? 15

D. crucem.

Sed

*Quid cauſae.)* Quae  
excusatio.

*Inſperante hoc.)* Id  
minime timente.

*Mibi eſſet aliquid.)*  
Clivus hic eſſet ali-  
quis, per quem me  
demitterem ne a Pam-  
philo viderer. TE-  
RENTIVS in *Adel.*  
*Vbi eo veneris, Clivus*  
*deorſum verſum eſt:*  
*hac te praecipita.*

*Fiteor.)* Tribachys  
pro Iambo.

*Pretium.)* Prae-  
mium.  
*Scio.)* Monofylla-  
bum.  
*Malum.)* Verbera.

*Huic malo.)* Verbe-  
ribus.



Sed paululum sine ad me ut redeam. iam aliquid dispiciam. P. hei mihi,  
Cur non habeo spacium, ut de te sumam supplicium, uti volo?  
Namque hocce tempus praecavere mihi me, haud te ulcisci finit.

## ACT. IV. SCENA I.

ARG. Narrat Carino Pamphilus, quemadmodum Davi consiliis imprudens in nuptias coniectus sit. Davus inventurum se atque adeo invenisse dicit, qua ratione impediri rursus nuptiae possint.

CARINVS. PAMPHILVS. DAVVS.

Ost. Iamb. acat.

C. HOC CINE credibile, aut memorabile, tanta ut cuiquam vecordia  
Innata fiet, ut gaudeat malis, atque ex incommodis  
Alterius sua uti commoda comparet? A, verum ne id est? genus  
Immo hominum id pessimum est, in denegando queis pudor modo  
Paululum adest, post ubi iam tempus est promissa perfici,  
Necessario aperiunt tum se, & timent, & cogit res eos  
Tum denegare. Ibi tum impudentissima eorum est oratio;  
Quis tu es? Quis es mihi? cur meam tibi? heus, proximu' sum  
egomet mihi.

Attamen ubi fides, si roges, nihil pudet: hic ubi est opus,  
Nihil verentur: illic ibi verentur, ubi non est opus.  
Sed quid agam? adeamne ad eum, & iniuriam hanc expostulem  
cum eo?

Mala ingeram multa? atque aliquis dicat, nihil promoveris.

Multum: molestus certe ei fuero, atque animo morem gesserō.

P. Carine, & me & te imprudens, nisi quid Di respiciunt, perdidisti.

C. Itane? imprudens? tandem inventa est causa. solvisti fidem. 15

P. Quid tandem? C. etiam nunc me subducere istis dictis postulas?

P. Quid isthuc est? C. postquam me amare dixi, complacita est tibi.

Heu me miserum, qui tuum animum ex animo spectavi meo.

P. Falsu' es. C. non tibi satis esse hoc visum solidum est gaudium,

Nisi me lactasses amantem, & falsa spe produceres? 20

Habeas. P. habeam? ah, nescis quantis in malis verfer miser,

Quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines

Meus carnifex. C. quid isthuc tam mirum est? de te exemplum capit.

P. Haud isthuc dicas, si cognoris vel me, vel amorem meum.

C. Scio, cum patre altercasti dudum: & is nunc propterea tibi 25

Succenset. nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres.

Senarii.

P. Immo etiam, quo tu minu' scis aerumnas meas:

Hae nuptiae non apparabantur mihi,

Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.

C. Scio: coactus tua voluntate es. P. mane, 30

Nondum scis. C. scio equidem illam ducturum esse te.

P. Cur me enecas? hoc audi. nunquam destitit

Instare, ut dicerem esse ducturum, patri:

Suadere, orare usque adeo, donec perpulit.

C. Quis hoc isthuc? P. Davos. C. Davos? P. Davos omnia. 35

C. Quam obrem. P. nescio. nisi mihi deos satis

Scio fuisse iratos, qui auscultaverim.

C. Factum est hoc Dave? D. Factum. C. hem, quid ais scelus?

At tibi Di dignum factis exitium dunt.

Eho, dic mihi, si omnes hunc coniectum in nuptias

Inimici vellent: quod, ni' hoc, consilium darent? 40

D. Deceptus sum, at non defatigatus. C. scio,

Z z z z z z

D. Hac

Pamphilus, Davus.)  
Duae hae personae ex  
actu III. in IIII. re-  
linquuntur: quam ex  
arte, non video.

A, verum ne id est.)  
Itane fieri aequum  
est? CICERO pro  
Quintio, Continuo ne  
verum fuit postula-  
re, ut ex edito bona  
possidere liceret?

Attamen ubi fides.)  
Verum, inquit, si ab  
hominibus fidei ple-  
nis aliquid petas, ni-  
hil pudet eos negare,  
quod non sint facturi.

Ita fit, ut neque ve-  
reantur postea un-  
quam. Homines vero  
sine fide, denegare  
initio verentur, cum  
salvo pudore possunt:  
tum demum, cum  
tempus est promissa  
perfici, verentur, cum  
non est opus.

Ita.) Posteriore lon-  
ga.

Visum.) Trium syl-  
labarum.

Nisi.) Posteriore pro-  
ducta.

Quantas.) Trium  
syllabarum.

Davos omnia.) In-  
terurbat.

Nisi.) Nisi postero-  
re producta. Sumitur  
autem hoc loco, ut  
praeterea in hoc au-  
tore per multos, pro

Sed. Vide Eun. act.

III. scen. IIII. ver-  
sum ultimum.

Quid.) Dissyllabum.



D. Hac non successit, alia aggrediemur via.

Nisi id putas, quia primo processit parum,  
Non posse iam ad salutem converti hoc malum.

P. Immo etiam. nam sati' credo, si advigilaveris,  
Ex unis, geminas mihi conficies nuptias.

D. Ego Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo,  
Conari manibus, pedibus, noctisque & dies,  
Capitis periculum adire, dum prosum tibi.

Tuum est, si quid praeter spem evenit, mi ignoscere.

Parum successit quod ago, at facio sedulo.

Vel melius tu aliud reperi, me missum face.

P. Cupio. restitue in quem me accepisti, locum.

*Oct. Iamb. acat.*

D. Faciam. P. at iam hoc opus est. D. hem: sed mane. concrepuit  
a Glycerio ostium.

P. Nihil ad te. D. quaero. P. hem, nuncine demum? D. at iam  
hoc tibi inventum dabo.

## ACT. IV. SCENA II.

*ARG. Pollicetur Pamphilus Mysidi, nunquam se deserturum Glycerium. Davus rursus pollicetur Carino & Pamphilo se promp-  
te aliquid acturum quo disturbet nuptias; interim Pam-  
philus visit Glycerium: Carinus domum ingreditur.  
Mysis expectat dum redeat a Glycerio Davus.*

**MYSIS. PAMPHILVS. CARINVS. DAVVS.**

*Oct. Iambici cata. omnes fere Scanzontes.*

M. Iam ubi ubi erit, inventum tibi curabo, & mecum adductum  
Tuum Pamphilum. tu modo, anime mi, noli te macerare.

P. Mysis. M. quid est? hem Pamphile, optume mihi te offers. P.  
quid est?

M. Orare iussit, si se ames, hera, iam ut ad sese venias:  
Videre ait te cupere. P. vah perii: hoc malum integrascit.

Siccine me atque illam opera tua nunc miseros sollicitari.

Nam idcirco accersor, nuptias quod mi' apparari sensit.

C. Quibu' quidem quam facile poterat quiesci, si hic quiesset.

D. Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga. M. atque ae-  
depol

Ea res est propterea quod nunc misera in moerore est. P. Mysis, 10  
Per omnes tibi adiuro deos, nunquam eam me deserturum:

Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omneis homines.

Hanc mi expetivi, contigit. conveniunt mores. valeant

Qui inter nos dissidium volunt. hanc nisi mors, mi adimet nemo.

C. Resipisco. P. non Apollinis magi' verum atque hoc respon-  
sum est. 15

Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat,

Quo minus hae fierent nuptiae, volo. Sed si id non poterit

Id faciam, in proclivi quod est, per me stetisse ut credat.

Quis videor? C. miser aequae, atque ego. D. consilium quaero. C.  
fortis.

Scio quid conere. D. hoc ego tibi profecto effectum reddam. 20  
P. Iam hoc opus est. D. quin iam habeo. C. quid est? D. huic,

non tibi habeo, ne erres.

C. Sat habeo. P. quid facies? cedo. D. dies hic mi ut sit sat vereor

Ad agendum: ne vacuum esse nunc ad narrandum credas.

Proinde hinc vos amolimini, nam mi impedimento estis.

P. Ego

*Sedulo.) Fide bona,  
CAELIVS ad Cicer.  
secundum eius fidem  
& sedulitatem.*

*Quaero.) Excogito.*

*Quid.) D. eliditur.*

*Aedepol.) Aepol hoc  
loco & aliis in hoc  
autore non paucis  
scriptum fuisse ratio  
me versus monet.  
Dici potuit ut aeca-  
stor, ut aecere & ita  
aepol.*

*Tibi.) Et hoc item  
loco Tibi monosyl-  
labum videtur, ut  
pro Tibi dicamus Ti.  
Qui inter nos dissi-  
dium volunt.) Qui  
nos separari & disjun-  
gi cupiunt. Id signi-  
ficare dissidium colli-  
go ex epist. ad Att.  
cuius initium est,  
Cum primum Ro-  
mam. Cognoram  
enim, inquit, te qui  
falsi rumoris socius  
fuisse, acerbissime  
dissidium nostrum tu-  
lisse: plurimumque*



P. Ego hanc visam. D. quid tu? quo hinc te agi? C. verum vis dicam? D. immo etiam

Narrationis incipit mi initium. C. quid me fiet?

D. Eho tu impudens, non fatis habes, quod tibi dieculam addo,

Quantum huic promoveo nuptias? C. Dave, attamen. D. quid ergo?

C. Ut ducam. D. ridiculum. C. huc face ad me ut venias, si quid poteris.

D. Quid veniam? nihil habeo. C. attamen si quid. D. age: veniam. C. si quid,

Domi ero. D. tu Mysis dum exeo: parumper me hic opperire.

M. Quapropter? D. ita factum est opus. M. matura. D. iam inquam hic adero.

*Senarii.*

M. Nil ne esse proprium cuiquam? Di vestram fidem,

Summum bonum esse herae putabam hunc Pamphilum,

Amicum, amatorem, virum in quovis loco

Paratum, verum ex eo nunc misera quem capit

Dolorem? facile hic plus mali est, quam illic boni.

Sed Davus exit. mi homo, quid isthuc obsecro est?

Quo portas puerum?

ACT. IV. SCENA III.

ARG. Davi iussu puerum ante Simonis ianuam apponit Mysis; intervenit Chremes derépende, consilium Davus, pro re nata mutat.

DAVVS. MYSIS.

D. MYSIS, nunc opus est tua

Mi ad hanc rem exprompta memoria, atque astutia,

M. Quidnam incepturus? D. accipe a me hunc ocyus:

Atque ante nostram ianuam appone. M. obsecro,

Humine? D. ex ara hinc sume verbenas tibi,

Atque eas substerne. M. quamobrem id tute non facis,

D. Quia si forte opu' sit ad herum iurandum mihi,

Non apposuisse, ut liquido possim. M. intellego.

Nova nunc religio unde isthaec te incessit, cedo?

D. Move ocyus te, ut quid agam, porro intellegas.

Pro Iuppiter. M. quid? D. sponsae pater intervenit.

Repudio consilium, quod primum intenderam.

M. Nescio quid narres. D. ego quoque hinc ab dextera

Venire me adsimulabo: tu, ut subservias

Orationi, ut cunque opus sit verbis, vide.

M. Ego quid agas, nihil intellego. sed si quid est,

Quod mea opera opus sit vobis, aut tu plus vides,

Manebo, ne quod vestrum remorer commodum.

ACT. IV. SCENA IV.

ARG. Chremes puerum ante Simonis ostium videt, videt cum ancilla iurgantem Davum vero vultu: a nuptiis itaque deterretur.

CHREMES. MYSIS. DAVVS.

*Senarii.*

C. REVERTOR postquam quae opu' fuere ad nuptias

Gnatae, paravi, ut iubeam accerfi. sed quid hoc?

Puer hercle est. mulier tun' apposuisti hunc? M. ubi

Z z z z z z z

operae ad conscien-  
dum reditum meum  
contulisse. Item in

orat. pro domo sua.  
Quod, inquit, cum iu-

dicasssem dessevi con-

iugis miserae diffi-

dium, liberorum cha-

rissimorum solitudi-

nem, fratris absen-

tis amantissimi atque

optimi casum, subit-

as fundatissimae fa-

miliae ruinas.

In proclivi quod est.)

Quod minime est la-

boriosum. CICERO

in Top. Ut antepo-

nantur proclivia la-

boriosis necessaria non

necessariis.

Vacuum esse.) Quem

alia non tenent occu-

patum, is vacuum di-

citur. CICERO in Bru-

to, Nunc vero; in-

quit, si es animo va-

cuo, expone nobis

quod quaerimus. Ac

paulo post, Itaque

hunc elegimus diem

cum te sciremus esse

vacuum.

Huc face.) Domum

ostendit.

Finis Senarii versus

praeced. sc.

5

Ut liquido.) Sic in

Eunu. Liqueat iurare.

Intellego.) Illudentis

est.

10 Porro intellegas.)

Melius intellegat.

15

Ego quoque.) Ancil-

lae enim Davus dixit,

move ocyus te.



*Octonarius. Iamb. acat.*

Illic est? C. Non mihi respondes? M. hem. nusquam est. vae mi-  
serae mihi:

*Senarius.*

Reliquit homo me, atque abiit. D. Di vostram fidem, 5

*Trochaicus oct. cat.*

Quid turbae est apud forum? quid illic hominum litigant?

*Senarii.*

Tum annona cara est. quid dicam aliud, nescio.

M. Cur tu obsecro hic me solam? D. hem, quae haec est fabula?

Eho Mysis puer hic unde est? quisve huc attulit?

M. Satin' fanu' es, qui me id rogites? D. quem igitur rogem, 10

Qui hic neminem alium video? C. miror unde sit.

D. Dicturan' quod rogo? M. au. D. concede ad dexteram.

M. Deliras. non tute ipse? D. verbum si mihi

Vnum, praeterquam quod te rogo, faxis, cave.

M. Male dicis. D. unde est? dic clare. M. a vobis. D. ha. he. 15

Mirum vero, impudenter mulier si facit.

C. Ab Andria est ancilla haec, quantum intellego.

D. Adeone videmur vobis esse idonei,

In quibu' sic illudatis? C. veni in tempore.

D. Propera adeo puerum tollere hinc ab ianua. 20

Mane, cave quoquam ex istoc excessis loco.

M. Di te eradicent: ita me miseram territas.

D. Tibi ego dico, an non? M. quid vis? D. at etiam rogas.

Cedo, cuium puerum hic apposuisti? dic mihi?

M. Tu nescis? D. mitte id quod scio: dic quod rogo. 25

M. Vestri. D. cuius vestri? M. Pamphili. D. hem, quid, Pamphili?

M. Eho, an non est? C. recte ego semper fugi has nuptias.

D. O facinus animadvertendum. M. quid clamitas?

D. Quemne ego heri vidi ad vos adferri vesperi?

M. O hominem audacem. D. verum: vidi Cantharam 30

Suffarcinatam. M. Dis pol habeo gratias,

Cum in pariundo aliquot adfuerunt liberae.

D. Nae illa illum haud novit, cuius causa haec incipit.

Chremes, si positum puerum ante aedes viderit,

Suam gnatam non dabit. tanto hercle magis dabit. 35

C. Non hercle faciet. D. nunc adeo, ut tu sis sciens,

Ni puerum tollis, iam ego hunc in mediam viam

Provolvam: teque ibidem pervolvam in luto.

M. Tu pol homo non es sobrius. D. fallatia

Alia aliam trudit. iam susurrari audio, 40

Civem Atticam esse hanc. C. hem. D. coactus legibus

Eam uxorem ducet. M. eho obsecro, an non civis est?

C. Iocularium in malum insciens pene incidi

D. Quis hic loquitur? o Chreme, per tempus advenis.

Ausculata. C. audivi iam omnia. D. ah, ne tu omnia. 45

C. Audivi inquam a principio. D. audistin' obsecro? hem

Scelera. hanc iam oportet in cruciatum hinc abripi.

Hic ille est. non te credas Davom ludere.

M. Me miseram, nil pol falsi dixi, mi senex.

C. Novi rem omnem: sed est Simo intus? D. intus est. 50

M. Ne me attingas sceleste: si pol Glycerio

Non omnia haec. D. Eho inepta, nescis. M. quid sciam?

D. Hic focer est: alio pacto haud poterat fieri,

Vt sciret haec, quae voluimus. M. praediceres.

D. Paulum interesse censes, ex animo omnia 55

Vt fert natura facias, an de industria?

ACT.

Alii libri litigat.

In quibus.) In *Eunu.*  
dicit in quos sic illu-  
datis. In *Phor.* Me  
illuditis. CICERO  
absolute posuit in  
orat. pro *P. Sestio.*

Verum vidi *Cantharam*  
suffarcinatam.)  
Verum, inquit, *Davus*,  
est quod dixi  
allatum ad *Glycerium*  
puerum: *Cantharam*  
enim ancillam vidi  
collecta in sinum ve-  
ste: quod mihi signum  
est tulisse tum *Cantharam*  
puerum ad  
*Glycerium*; ipsam non  
peperisse *Glycerium*.  
*Liberae*) *Servis* enim  
non est testimonii di-  
ctio, *TERENT.* in *Phor.*  
*Servum* hominem  
causam orare leges  
non sinunt, neque  
testimonii dictio est.  
Incipit.) Facit. *TE-*  
*RENT.* in *Eunu.* Aut  
quem laudem maxi-  
me, illum qui mihi  
dedit consilium ut fa-  
cerem, an me qui au-  
sus sim incipere.

Alia.) Prius *A.* ab-  
sumitur ab ultima syl-  
laba prioris versus.  
*Coactus legibus*) *Athe-*  
*niensium* legibus ci-  
vem, qua quis abusus  
erat, uxorem ducere  
cogebatur. Vide  
*Phor. ad. II. sc. III.*  
*Paulum.*) Volui in-  
quit *Davus*, ignorare  
te illum esse socerum  
*Pamphili*, ut tu me-  
cum vero ageres vul-  
tu: nam quae ita agun-  
tur, multo melius si-  
mulantur, quam quae  
de industria & fide,



## ACT. IV. SCENA V.

ARG. *Crito veniens ex Andro Athenas de Glycerio percontatur, an parentes repererit suos: & ad eam per Mysidem deducitur.*

CRITO hospes. MYSIS. DAVVS.

Senarii.

C. IN HAC habitasse platea dictum est Chrysidem:  
 Quae se inhoneste optavit parare hic divitias  
 Potius, quam in patria honeste pauper vivere:  
 Eius morte ea ad me lege redierunt bona.  
 Sed quos perconter, video. salvere. M. obsecro  
 Quem video? estne hic Crito sobrinus Chrysidis?  
 Is est. C. o Mysis salve. M. salvos sis Crito.  
 C. Irane Chrysis? hem. M. nos quidem pol miseram perdidit.  
 C. Quid vos? quo pacto hic? sati'ne recte? M. nosne? sic  
 Vt quimus (aiunt) quando ut volumus, non licet.  
 C. Quid Glycerium? iam hic suos parentes repperit?  
 M. Vtinam. C. an nondum etiam? haud auspicato huc me appuli.  
 Nam pol, si id scissem, nunquam huc tetulissim pedem:  
 Semper enim eius dicta est haec, atque habita soror.  
 Quae illi' fuerunt, possidet. nunc me hospitem  
 Lites sequi, quam hic mihi sit facile, atque utile,  
 Aliorum exempla commonent. simul arbitror,  
 Iam esse aliquem amicum, & defensorem ei. nam fere  
 Grandiuscula iam profecta est illinc. clamitent,  
 Me sycophantam, haereditatem persequi  
 Mendicum. tum ipsam despoliare non libet.  
 M. Optime hospes pol Crito antiquum obtines.  
 C. Duc me ad eam: quando huc veni, ut videam. M. maximè.  
 D. Sequar hos. nolo me in tempore hoc videat senex.

5 *Eius.) Syl. prior ab ultima superioris versus vocali absumitur. Lege.) Ab intestato agnati ad bonorum possessionem lege vocabantur.*

10

15 *Hospitem.) Hospiti Civis opponitur. TERENTIUS in Pbor. Quot me de verberasse tum civis tum hospites putas?*

20 *Grandiuscula.) Quadrifsyllabum.*

.. QVAE se inhoneste optavit parare hic divitias, Egere locus hic notatione visus est propter novitatem malam favoris conciliatricem. Sunt qui Parere non Parare scripsisse poetam velint: at id, facere est, non sanare vulnus: neque enim Parare in causa erat, cur suis numeris non constaret senarius: neque parere ut constaret. Ego Ditiis non Divitias scripsisse TERENTIUM puto. Idem in Heautont. Act. I. Scena II. Parentes, patriam incolumem, amicos, genu, divitias, ubi quoque DITIIS postulat Oct. Iambicus. Rursus Act. III. Scena II. Vicinum hunc nostin? at quasi is non divitiis, ubi & Ditiis versus efflagitat senarius. Dis certe pro dives idem dixit in Adelpb. Dis quidem esses Demea. Cum igitur Divitiae nusquam reperiam apud hunc autorem, nisi his locis quos citavi, & his ipsis omnibus Ditiis carmen postulet, & quemadmodum Dis pro Dives, ita Ditiis pro Divitiae dici potuerit, rem dignam putavi quam & indicarem ego; & in quam alii diligentius inquirerent.

.. OPTIME hospes pol Crito antiquum obtines. Opportune pro Optime qui legendum putant, ut versui consulant, potius quam Morem addant, vident meo iudicio parum: nam & opportune sententia non postulat, & in Hecyra ita TERENTIUS. At tu accastor morem antiquum obtines. PLAVTVS, Moribus antiquis adolescens. Idem in Penulo, Servos pol quidem mores antiquos habet. TERENTIUS in Adelpb. Homo antiqua virtute & fide. Non est quod nos moveat interpretis autoritas in illud Gnathonis in Eunucho, Non cognosco vestrum tam superbum, ubi ille superbum dici vult absolute: ut hoc Andriae Antiquum obtines: non est inquam, quod nos moveat: scriptum siquidem invenio eo loco, Non nosco genu vestrum tam superbum. Est quod Galli dicunt, vous ne serez pas si mauvais, vostre pere estoit si bon. Est quod dicit CICERO pro Ligario, Ita mercede existimo Tubero, novi enim te, novi patrem, novi domum, nomenque vestrum.

## ACT. V. SCENA I.

ARG. *Generum recusat Chremes ob natum ex Glycerio puerum.*

CHREMES. SIMO.

Troch. oct. catalectici

C. SATI' IAM, sati', Simo, spectata erga te amicitia est mea:  
 Sati' periculi coepi adire. orandi iam finem face.

A a a a a a

Dum



Dum studeo obsequi tibi, pene illusi vitam filiae.

S. Immo enim quam maxime abs te postulo, atque oro Chreme,  
Vt beneficium verbis inutum dudum, nunc re comprobas. 5

C. Vide, quam iniquus sis prae studio, dum efficias id quod cupis.  
Neque modum benignitatis, neque quid me ores, cogitas.

Nam si cogites, remittas iam me onerare iniuriis.

S. Quibus? C. ah, rogitas? perpulisti me, ut homini adolescentulo,  
In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria, 10

Filiam darem in seditionem, atque incertas nuptias:

Eiu' labore, atque eiu' dolore gnato ut medicarer tuo.

Impetrasti. incepti, dum res tetulit: nunc non fert, feras,

Illam hinc civem esse aiunt. puer est natus. nos missos face.

S. Per ego te deos oro, ut ne illis animum inducas credere, 15  
Quibus id maxime utile est, illum esse quam deterrimum.

Nuptiarum gratia haec sunt ficta, atque incepta omnia:

Vbi ea causa, quamobrem haec faciunt, erit adempta iis, desinent.

C. Erras: cum Davo egomet vidi iurgantem ancillam S. scio C. at

Vero voltu. cum ibi me adesse neuter tum praesenserat. 20

S. Credo, & id facturas Davos dudum praedixit mihi:

Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac volui dicere.

## ACT. V. SCENA II.

ARG. *Simo e Davo audit, venisse Athenas hospitem, qui Glycerium dicat civem esse Atticam; commotus senex Davum, quod eius consilio adductum hospitem suspicaretur, abripi in pistrinum iubet.*

DAVVS. CHREMES. SIMO. DROMO *servus.*

*Oct. Trochaici catal.*

D. ANIMO iam nunc otioso esse impero. C. hem Davum tibi.

S. Vnde egreditur? D. meo praesidio, atque hospiti' S. quid illud mali est?

D. Ego commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi.  
S. scelus

Quemnam hic laudat? D. OMNIS RES est iam in vado S. cesso alloqui?

D. Herus est. quid agam? S. o, salve bone vir. D. hem Simo: o noster Chreme. 5

Omnia apparatus iam sunt intus. S. curasti probe.

D. Vbi voles, accerse. S. bene sane: id enimvero hic nunc abest.

Etiam tu hoc respondes? quid isthic tibi negoti est? D. mihin'?  
S. ita.

D. Mi ne? S. tibi ergo. introii modo. S. quasi ego quam dudum rogem.

D. Cum tuo gnato una. S. anne est intus Pamphilus? D. crucior miser. 10

S. Eho, non tu dixisti esse inter eos inimicitias carnifex?

D. Sunt S. cur igitur hic est? C. quid illum censes? cum illa litigat.

D. Immo vero indignum Chreme iam facinus faxo ex me audias.

Nescio quis senex modo venit. ellum: confidens, catus.

Cum faciem videas, videtur esse quantivis preti. 15

Tristi' severitas inest in voltu, atque in verbis fides.

S. Quid ait tandem? D. Glycerium se scire civem esse Atticam.

*Oct. Iamb. acatalectivi.*

S. Hem Dromo, Dromo, DR. quid est? D. audi. S. verbum si addideris, Dromo.

D. Audi

*Labore.)* Miseria aerumna. Vide *See. ab vine. III.*

*Vero voltu.)* Non fecte, a bon escient.

*Quid.)* D. eliditur.  
*Mihini.)* Tribrachys pro Trocheo.  
*Quam.)* Dissyllabum.

*Quid.)* D. eliditur.

*Immo vero.)* Ac si dicat Davus, iocari cum te putas Chreme, rem ut est dicis. Venit enim Pamphilus ad Glycerium, ut illam & senem qui cum ea est, qui eam civem Atticam esse dicit, verbis confutet.

*Ellum.)* Domum Glycerii ostendit, ubi erat Crito.



D. Audi obsecro. DR. quid vis? S. sublimem hunc intro rape quantum potest.

DR. Quem? S. Davom. D. quamobrem? S. quia lubet. rape inquam. D. quid feci? S. rape.

D. Si quidquam mentitum invenies, occidito. S. nihil audio.

Ego iam te commotum reddam. D. tamen hoc verum est. S. tu tamen

Cura adservandum vinctum, atque audin? quadrupedem constringito.

## Senarii.

Age nunc: iam ego pol hodie, si vivo, tibi

Ostendam, herum quid sit periculi fallere, &

Illi, patrem. C. ah ne saevi tantopere. S. Chremes,

Pietatem gnati. nonne te miseret mei,

Tantum laborem capere ob talem filium?

Age Pamphile, exi Pamphile, ecquid te pudet?

## ACT. V. SCENA III.

ARG. A patre impetrat Pamphilus, ut Critonem audire velit qui nodum fabulae omnem solvet.

PAMPHILVS. SIMO. CHREMES.

## Senarii.

P. QVIS me volt? perii. pater est. S. quid ais omnium? C. ah.

Rem potius ipsam dic: ac mitte male loqui.

S. Quasi quidquam in hunc iam gravius dici possiet.

Ain', tandem civis Glycerium est? P. ita praedicant.

S. Ita praedicant? ingentem confidentiam.

Num cogitat, quid dicat, num facti piget?

Adeo impotenti esse animo, ut praeter civium

Morem, atque legem, & sui voluntatem patris,

Tamen hanc habere studeat cum summo probro?

P. Me miserum. S. modone id demum sensi Pamphile?

Olim isthuc, olim, cum ita animum induxti tuum,

Quod cuperes, aliquo pacto efficiendum tibi,

Eodem die isthuc verbum vere in te accidit.

Sed quid ego? cur me excrucio? cur me macero?

Cur meam senectam huius sollicito amentia? an

Vt pro huius peccatis ego supplicium sufferam?

Immo habeat: valeat: vivat cum illa. P. mi pater.

S. Quid mi pater? quasi tu huius indigeas patris.

Domus, uxor, liberi inventi invito patre:

Adducti qui illam civem hinc dicant, viceris.

P. Pater, licetne pauca? S. quid dices mihi? C. at

Tamen Simo audi. S. ego audiam? quid ego audiam

Chreme? C. at tamen dicat sine. S. age, dicat sino.

## Trochaici. oct. catal.

P. Ego me amare hanc, fateor. si id peccare est, fateor id quoque.

Tibi pater me dedo. quidvis oneris impone, impera.

Vis me uxorem ducere? hanc amittere? ut potero, feram.

Hoc modo te obsecro, ut ne credas, a me allegatum hunc senem.

Sine me expurgem, atque illum hic coram adducam. S. adducas?

P. sine pater.

C. Aequum postulat: da veniam. P. sine te hoc exorem. S. sino.

Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar Chreme.

C. Pro peccato magno paulum supplicii fatis est patri.

pro Domo sua. Data merces est erroris mei magna, pontifices, ut me non solum pigeat stultitiae meae, sed etiam pudeat. Sine pa.) Tribra. pro Trocheo. Da veniam.) Sine te hoc exorem, hoc mihi concede. CICERO ad Q. Praetrem, In quo inquit Caesaris consilium probo, quod tibi amantissime petenti veniam non dedit, uti ullum ad illam furiam verbum rescriberet. Idem ad Atticum, Si mihi veniam quam peto dederit, utar illius conditione.

Confidens.) Galli dicunt *Assure*. Ita in *Pbor.* *Est parasitus quidam Pbormio, homo confidens.* Itali dicunt *Cbegurato.*

Quod illum.) In Quod, eliditur D.

Dromo.) Dromo non egreditur, sed de pistrino loquitur, quare scenam non facit novam. Sic in *Eunu.* cum Chremete de domo loquens Pythias scenam non facit novam.

Sublimen.) Ut terram non tangat.

Potest.) Sic in *Eunu.* *Comprehendi iube quantum potest.* Sic in *Adel.* *Atque hanc*

in horto maceriem iube dirui, quantum potest. Sic in *Pbor.* *Quo pacto id potuit?*

atque iterum eadem fabula, *Quantum potest nunc conveniendus Pbormio est.* Tum

sc. item *act. iv. ult.* *Manere affinitatem hanc inter nos volo, si ullo modo est, ut possit.*

Audiendi itaque non sunt, qui *Potes* non

*Potest* legendum putant. Vide quae de ea re notavimus, *act. ii. sc. ii.*

*Ego iam te commotum reddam.)* Ego iam te commovebo, qui me putabas commovere. Eius contrarium est, *Quietum reddere:* quo in *Eunu.* utitur TERENT,

*act. ii. Sc. ii.* Tu tamen.) Imitatur Simo Davi orationem, qui dixerat. *Tamen hoc verum est.*

*Laborem.)* Miseriam, aerumnam. In quam significationem a CICERONE ponitur

*epist. ad Q. Fratrem* cuius est initium *Mi frater.* TERENT. in *Heaut. act. i. sc. i.* *Si*

*quid laboris est, nollem.* Sic paulo ante, *eius labore ac dolore.*

CICERO pro *Caelio* *Vos laboriosos existimet, quibus otiosis ne in communi quidem*

*otio esse liceat.* Gravius.) Quam eius facta mereantur.

Piget.) Piget minus est quam *Pudet.* CIC.

25  
5  
10  
15  
20  
30



## ACT. V. SCENA IV.

ARG. Crito errorem totius fabulae aperit: Glycerium filia Chremetis invenitur.

CRITO. CHREMES. SIMO. PAMPHILVS.

*Trochaici oct. cat.*

CR. MITTE orare: una harum quaevis causa me, ut faciam, monet:

Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio.

CH. Andrium ego Critonem video, & certe is est. salvos sis Crito.

Quid tu Athenas insolens? CR. evenit. sed hiccine est Simo?

CH. Est. S. mene quaeris? eho tu Glycerium hinc civem esse ais? 5

CH. Tu negas? S. itane huc paratus advenis? CR. quare?

S. rogas?

Tune impune hoc facias? tune hic homines adolescentulos,

Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis?

Solicitando, & pollicitando eorum animos lactas? CR. sanu' ne es.

S. Ac meretricios amores nuptiis conglutinas? 10

P. Perii. metuo ut substet hospes. CH. si, Simo, hunc noris satis,

Non ita arbitrere. bonus hic est vir. S. hic vir sit bonus?

Itane attemperate venit hodie in ipsis nuptiis,

Vt veniret antehac nunquam? est vero huic credendum Chreme.

P. Ni metuam patrem, habeo pro illa re, illum quod moneam probe. 15

S. Sycophanta. CR. hem. CH. sic, Crito, est hic: mitte CR. videat qui fiet.

Si mihi pergit, quae volt, dicere, ea quae non volt, audiet.

*Troch. Hypercatalecticus.*

Egon' isthaec moveo, aut curo? non tu tuum malum aequo animo feres?

*Catat.*

Nam ego quae dixi, vera an falsa audieris, iam sciri potest.

Atticus quidam olim navi fracta apud Andrum, eiectus est: 10

Et parva isthaec una virgo. tum ille egens, forte applicat

Primum ad Chrysidis patrem se. S. fabulam incoepat. C. sine.

CR. Itane vero obturbat? CH. perge. CR. tum is mihi cognatu' fuit,

Qui eum recepit. ibi ego audivi ex illo, sese esse Atticum.

Is ibi mortuus est. CH. eius nomen? CR. nomen tam cito tibi? 25

Phania. CH. hem, perii. CR. verum hercle opinor fuisse Phanium. hoc

Certo scio, Rhamnusium se aiebat esse. CH. o Iupiter.

CR. Eadem haec, Chreme, multi alii in Andro tum audivere.

CH. utinam id fiet,

*Senarius iambicus ad distinguendos versus.*

Quod spero. eho dic mihi, quid eam tum Crito?

*Oct. Iambici.*

Suam ne aiebat esse? CR. non. CH. cuiam igitur? CR. fratris filiam. 30

CH. Certe mea est. CR. quid ais? S. quid tu ais? P. arrige aureis Pamphile:

S. Qui credis? CH. Phania ille, frater meus fuit. S. noram & scio.

CH. Is bellum hinc fugiens, meque in Asiam persequens, proficiscitur.

Tum illam hic relinquere est veritus, post illa nunc primum audio,

Quid illo sit factum. P. vix sum apud me, ita animus commotu' est metu, 35

Spe,

*Ipsi cupio.)* Sic CICERO ad Q. Fratrem. Ego Fundano non cupio? non amicus sum? nemo magis. Vt audiendi non sint qui legunt, *Ipsi bene cupio. Glyceri.)* Tribra. pro Trocheo.

*Sed.)* D. eliditur. Imperitos rerum.) Sine usu rerum.

*Sic est.)* Ita natus est.

*Cito ti.)* Tribra. pro Trocheo.

*Rhamnusium.)* Idem erant Attici & Rhamnusii.

*In Asiam.)* Quo ego ad mercatum iveram,

*Apud.)* D. eliditur.



Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.

S. Nae istam multis tuam inveniri gaudeo. P. credo pater.

CH. At mi unus scrupulu' etiam restat, qui me male habet. P. dignus es

Cum tua religione odio: NODVM in scirpo quaeri? CR. quid istud est?

CH. Nomen non convenit. CR. fuit hercle aliud huic parvae. CH. quod Crito?

Nunquid meministi? CR. id quaero. P. egone huius memoriam patiar meae

Voluptati obstare, cum ego possim in hac re medicari mihi?

Non patiar. heus Chreme: quod quaeris, Pasibula est. CR. ipsa est. CH. ea est.

P. Ex ipsa audivi milies. S. omnes nos gaudere hoc, Chreme, Te credo credere. CH. ita me Dei ament, credo. P. quid restat pater?

S. Iamdudum res reduxit me ipsa in gratiam. P. o lepidum patrem, De uxore ita ut possedi, nil mutat Chremes. CH. causa optima est:

P. Nisi quid pater aliud ait. CH. nempe. S. scilicet. CH. dos Pamphilo est,

Decem talenta. P. accipio. CH. propero ad filiam. eho mecum Crito: Nam illam me haud nosse credo. S. cur non illam huc transferri iubes?

P. Recte admones. Davo istuc dedam iam negoti. S. non potest.

P. Qui? S. quia habet aliud magis ex sese, & maius. P. quidnam? vincus est.

P. Pater, non recte vincus est. S. haud ita iussi. P. iube solvi obsecro.

S. Age fiat. P. at matura. S. eo intro. P. o faustum & felicem hunc diem.

Andrium ego Critonem video? & certe is est; salvos sis Crito. Versus hic cum Trochaicus esse debeat catalecticus, corrupte legitur: quem ut emendaret ERASMVS is, detraxit, versui quidem certe consuluit, elegantiae non habuit rationem, quae is sibi detrahi non patitur. Ego post eam interrogationem, Andrium ego Critonem video? Et certe, subiici non puto commode. Accere; non Et certe puto scripsisse TERENCEM. Accere autem adverbium est iurandi: ac si dicas, Per aedem Cereris, ut Aecastor, per eadem Castoris: Aedepol, per aedem Pollucis. Eo usus est PLAVTVS, eo TERENCEVS non semel. Ita & elegantia & versus TERENCEM scripsisse clamant. Idem erat flagitium in Eunuchi Act. V. Scena II. Idem in Adelphi Act. I. Scena prima, idem multis aliis locis.

Ita ne vero obturbat? Locum, si, ut interpretes volunt, accipias, ut VERO adverbium sit, sintque haec inter se distincta, Ita ne vero? obturbat, corruptum esse asseveratione omni confirmo. Quod si VERO, nomen sit casu dandi, referaturque ad verbum Obturbat, obturbare vero, erit veritati obstrepere; ut miretur Crito tam esse veritati adversum Simonem, ut vera dicentes amet interpellare; sin adverbium est, quod magis placet, sic intelligendus erit locus, an quemadmodum convitiari, ita & loquentes interpellare amat? nam cum Critonem Simo paulo ante vocaret sycophantam, commoverique inciperet Crito, hominem ut placet Chremes, Sic, inquit, Crito hic est: mitte; ignoscere scilicet vitii solemus, quae natura excusantur. Quare nunc item rogat Chremetem Crito an id quoque illi a natura insit vitii, ut loquentibus obstrepat & obloquatur, concedendumque adeo sit homini natura, non voluntate peccanti.

## ACT. V. SCENA V.

ARG. Pamphilus post apertum errorem fabulae, quaerit Davum, ut ei rem omnem narret.

CARINVS. PAMPHILVS.

Oct. Iambici.

C. PROVISO quid agat Pamphilus: atque eccum. P. aliquis forsitan me putet

Hoc non putare verum: at mihi nunc sic esse hoc verum lubet.

Ego vitam deorum propterea sempiternam esse arbitror,

B b b b b b b

Eorum

Hoc non putare Verum.) Ea enim erat Epicureorum opinio



vulgo reprobata. Sic enim apud CICERONEM primo de natura Deorum libro Velleius Epicureus. Et quaerere a nobis Balbe soletis, quae vita Deorum sit, quaeque ab iis degatur aetas; ea scilicet, qua nihil beatius, nihil omnibus bonis affluentius cogitari potest. Nihil enim agit, nullis occupationibus est implicatus, nulla opera molitur, sua sapientia & virtute gaudet: habet exploratum fore se semper tum in maximis, tum in perpetuis voluptatibus.

Eorum quod voluptates propriae sunt. nam immortalitas Mi parta est, si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit. Sed quem ego potissimum exoptem nunc mihi, cui haec narrem, dari?  
C. Quid illud gaudii est? P. Davum video. nemo est, quem mallet omnium.  
Nam hunc scio mea solide solum gavifurum esse gaudia.

## ACT. V. SCENA VI.

ARG. Davo narrat Pamphilus, Glycerium inventam esse civem Atticam, seque illam ducturum uxorem. Carino ostenditur spes per Pamphilum facile se impetraturum a Chremete Philumenam.

DAVVS. PAMPHILVS. CARINVS.

Ost. Iamb.

D. Pamphilus ubinam hic est? P. Dave. D. quisnam homo est? P. ego sum. D. o Pamphile.

P. Nescis quid mi obtigerit D. certe: sed quid mihi obtigerit, scio. P. Et quidem ego. D. more hominum evenit: uti quod sum nactus mali,

Prius rescisceres tu, quam ego tibi quod evenit boni.

P. Mea Glycerium suos parentes reperit. D. o factum bene. C. hem. 5  
*Troch. octonarii.*

P. Pater amicus summus nobis. D. quis? P. Chremes. D. narras probe.

P. Nec mora ulla est, quin eam uxorem ducam. C. num ille somniat Ea, quae vigilans voluit? P. tum de puero Dave? D. ah, desine.

Solus est, quem diligunt Di. C. salvus sum si haec vera sunt.

Colloquar. P. quis homo est? Carine, in tempore ipso mi advenis. 10  
D. Bene factum. P. hem, audistin? C. omnia: age, me in tuis secundis respice.

Tuus est nunc Chremes: facturum, quae voles, scio esse omnia.

P. Memini: atque adeo longum est nos illum expectare, dum exeat. Sequere hac me: intus apud Glycerium est nunc. tu Dave abi domum:

Propera, accerse, hinc qui auferant eam. quid stas? D. eo. 15

Ne expectetis, dum exeant huc. intus despondebitur.

Intus transigetur, si quid est, quod restet. Plaudite.

CALLIOPIVS RECENSVI.

GOVEANVS RECENSVI.

ANDRIAE FINIS.

Scio.) Vna syllaba.



# TERENTIIVS

A B

ANTONIO GOVEANO

DENVO CASTIGATA, LOCIS DIFFICILIORIBVS  
EXPLICATA, SCENIS, ACTIBVS, VERSI-  
BVSQVE DISTINCTA.

---

## TERENTIIVS

ARGVMENTVM

PER

ANTONIVM GOVEANVM.

**A** Brepta olim e Sunio virgo quaedam parva a praedonibus fuit: a quibus qui eam emit mercator, Thaidis matri, quae habitabat Rhodi, dono eam dedit. Mulier ubi accepit, coepit studiose omnia docere, & educare ita ut si esset filia. Sororem plerique credebant esse Thaidis. Interea Thais cum hospite quodam Attico relicta matre Athenas concedit. Moritur post aliquanto mater: eius haeres virginem, precium sperans producit, vendit; forte fortuna adfuit ibi tum Thaidis amator Thraso, eam dono Thaidi emit, rerum omnium harum imprudens atque inscius. Qui cum reversus Athenas sensisset Thaidem rem quoque cum Phaedria habere, negabat ei se dare virginem, nisi fidem haberet praepositum iri se Phaedriae in amore. Virginem a milite cupiens abducere mulier, cum quia semper eius dicta fuerat soror, tum vero ut suis eam restitueret, pararetque Athenis amicos sibi aliquot eo beneficio, Phaedriam exorat, ut per aliquot dies militem sinat priores apud se habere partes, rus ipse concedat, ne videat. Gerit morem meretrici adolescens: proficiscensque Parmenoni seruo mandat, ut Eunuchum & ancillulam ex Aethiopia, quos illis diebus Thaidi emerat, ad eam deducat. Parabat Parmeno deducere, ecce tibi a Pyraeo Gnatho parasitus a milite cum virgine ad Thaidem. Quam cum forte in via Chaerea vidisset Phaedriae frater minor, qui Piraei custos publice erat, commotus in eam est, consilioque Parmenonis Eunuchi vestitu pro Eunucho ad Thaidem deducitur. Mulier lacta recipit, forma enim erat honesta & liberali, virginem ei commendat, ne ab ea abscedat, imperat, ipsa relicta circa eam puellis novitiis foras ad coenam abit. Chaerea rebus omnibus exploratis virginem, cum eam somnus oppressisset, vitiat, domo se subducit. Detecta demum re per Eunuchum, qui Chaerae vestitum suum dederat, inventoque Athenis virginis fratre nobili adolescente, virginem uxorem ducit Chaerea summa Lachetis patris voluntate. Quo facto Phaedriae tota fit Thais: pellaturque miles foras, ni Gnatho doceat esse Phaedriae opus eo homine ad sustinendos sumptus: qui in meretricem tam potentem magni erant faciundi.



# A E L L I I D O N A T I

## P R O L E G O M E N A

I N

### E V N V C H V M T E R E N T I I .



*H*aec masculini generis nomine nuncupata fabula est, EVNVCHVS: & est palliata MENANDRI vetus: quam ille autor de facto adolescentis, qui se pro Eunucho deduci ad meretricem passus est, nominavit. Itaque ex magna parte motoria est. Atque in hac Comoedia, qui personam Parmenonis actor sustinet, primas habet partes. Secundae sunt Chaereae. Tertiae ad Phaedriam spectant. Huius prologus sane est concitator. Nam & obiicit crimina adversantibus: & comminatur in posterum, & accusatorie narrat iniuriam TERENCE factam: & ad ultimum tumultuose, & cum magna invidia defendit poetam. Haec & πρότασιν, & επίτασιν & καταστροφήν ita aequales habet, ut nusquam dicas longitudine operis TERENCE delassatum dormitasse. Actus sane implicatiores sunt in ea, & qui non facile a parum doctis distingui possint: ideo, quia tenendi spectatoris causa vult Poeta noster omnes quinque actus velut unum fieri: ne respiret quodammodo: atque distincta alicubi continuatione succedentium rerum, ante aulea sublata fastidiosus spectator exurgat. Acta plane est Ludis Megalensibus, L. Posthumio, L. Cornelio, Aedilibus Curulibus: etiam tunc personatis L. Numidio Posthumo L. Ambivio Turpione, item modulante Flacco Claudio tibiis dextra & sinistra, ob iocularia multa permista gravitate. Et acta est tanto successu, ac plausu, atque suffragio: ut rursus esset vendita, & ageretur iterum pro nova: proque ea pretium, quod nulli ante ipsam fabulam contigit, octo milibus sestertium numerarent poetae. Diverbia multa saepe pronuntiata, & cantica saepe mutatis modis exhibita sunt. προταλικὸν πρόσωπον nusquam habet: sed suis tantum personis utitur. In hac TERENCE delectat facetiis, prodest exemplis: & vitia hominum paulo mordacius, quam in caeteris, carpit. Exempla autem morum hic tria praecipua proponuntur, Urbani scilicet, Parasitici, & Militaris. Haec edita tertium est: & pronuntiata, TERENCE Eunucho: quippe iam adulta commendatione Poetae, ac meritis ingenii notioribus populo. Facta autem ex duabus Graecis una est Latina. Nam ex Eunucho & Colace MENANDRI fabulis, haec Eunucho Terentiana scripta est, non sine crimine, quod multa in hanc translata sint ex multis poetis Latinis; quod totum per prologum purgat atque defendit.

### FABVLAE INTERLOCVTORES.

PHAEDRIA, *adolescens.*

PARMENO, *servus.*

THAIS, *meretrix.*

GNATHO, *parasitus.*

CHAEREA, *adolescens.*

THRASO, *miles.*

PYTHIAS, *ancilla.*

CHREMES, *adolescens rusticus.*

ANTIPHO, *adolescens.*

DORIAS, *ancilla.*

DORVS, *eunucho.*

SANGA, *servus.*

SOPHRONA, *nutrix.*

LACHES, *senex.*



# TERENTII EVNUCHVS.

## ACTA LVDIS MEGALENS.

L. POSTHYMIO ALBINO L. CORNELIO MERVLA AEDILIBVS CVRVLIBVS. EGERE L. AMBIVIVS TVRPIO, L. ATTILIVS PRAENESTINVS. MODOS FECIT CLAVDIVS FLACCVS CLAVDII FILIVS TIBIIS DVABVS DEXTRA ET SINISTRA ACTA SECVNDO EST. GRAECA EST MENANDRV EDITA M. VALERIO MESSALA, C. FANNIO STRABONE COSS.

### PROLOGVS.

#### Senarii.

SI QVISQVAM est, qui placere se studeat bonis  
Quam plurimis, & minime multos laedere,  
In iis Poëta hic nomen profitetur suum.  
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius  
Existimat esse, sic existimet: sciat  
Responsum, non dictum esse, quia laesit prius,  
Qui bene vertendo, & eas describendo male, ex  
Graecis bonis Latinas fecit non bonas.  
Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit.  
Atque in Thesauro scripsit caussam dicere  
Prius unde petitur aurum, quare sit suum,  
Quam illic qui petit, unde esset thesaurus sibi,  
Aut unde in patrium monumentum pervenerit.  
Dehinc ne frustretur ipse se, aut sic cogitet,  
Defunctus iam sum: nihil est quod dicat mihi.  
Is ne erret moneo: & desinat laceffere.  
Habeo alia multa, quae nunc condonabitur.  
Quae proferentur post, si perget laedere  
Ita, ut facere instituit. Nunc quam acturi sumus  
Menandri EVNUCHVM, postquam Aediles emerant,  
Perfecit, sibi ut inspiciundi esset copia.  
Magistratus cum ibi adesset, octepta est agi.  
Exclamat, furem, non poëtam, fabulam  
Dedisse, & nil dedisse verborum tamen.  
COLACEM esse Naevi, & Plauti veterem fabulam:  
Parasiti personam inde ablatam, & Militis.  
Si id est peccatum, peccatum imprudentia est  
Poëtae, non qui furtum facere studuerit.  
Id ita esse vos iam iudicare poteritis.  
Colax Menandri est, in ea est parasitus Colax,  
Et miles gloriosus. eas se non negat  
Personas transtulisse in Eunuchum suam  
Ex Graeca. sed eas fabulas factas prius  
Latinas scisse sese, id vero pernegat.  
Quod si personis iisdem uti aliis non licet,  
Qui magi licet currentes servos scribere,  
Bonas matronas facere, meretrices malas,  
Parasitum edacem, gloriosum militem,

Ccccccc

5

*Responsum.) Responsum est cum quod ab aliquo allatum est, id ei refertur. Quam ergo in scribendis fabulis reprehendat TERENTIUS eum a quo ipse fuerat reprehensus, respondere dicitur, non laceffere. Idem in Pbormionis Prologo, Hic respondere voluit non laceffere: Benedictis si certasset, audisset bene: Quod ab ipso allatum est, id esse ei relatum putet. CICERO pro M. Caelio, Deinde ut ea in alterum ne dicas, quae cum tibi falso responsa sint, erubescas.*

25

30

35

*Sed eas fabulas factas prius Latinas scis.) Hinc colligas eas fabulas novas vocari a TERENTIO, quae prius factae Latinae non fuerunt.*

Puc-



Puerum supponi, falli per servum senem,  
 Amare, odisse, suspicari? denique  
 NVLLVM EST iam dictum, quod non dictum sit prius. 40  
 Quare aequum est vos cognoscere, atque ignoscere,  
 Quae veteres factitarunt, si faciunt novi.  
 Date operam, & cum silentio animadvortite,  
 Ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus velit. 45

*Quam plurimis, & minime multos laedere.)* Quam plurimis duae sunt dictiones. Loci sententia, cuius nos AEMYLIUS FERRETTVS monuit ex NONIO MARCELLO, haec est, *Si quisquam est qui bonis placere velit potius quam malis* (nam per plurimos eosdem hic intelligimus, quos Graeci per πολλοῖς) *neque tamen malos laedere, in iis esse se Poëta profitetur.* Adverbium POTIVS subintelligi non est novum; sic VLPIANVS, sic CICERO libro III. in Verrem est locutus. Sic HOMERVS ὄδυσ. P.

Αὐτὸν ἔχοντά σε βούλομαι ἐπαυρέμεν, ἤτινα τῶνδε.

*Defunctus iam sum.)* In eandem significationem dicitur a CICERONE *Perfunctus*: Sic enim pro Cluentio, *In litibus aestimandis fere indices aut quod eum quem semel condemnaverunt inimicum putant, si quae in eum lis capitis illata est, non admittunt, aut quod se perfunctos iam esse arbitrantur, cum de reo iudicant negligentius attendunt caetera.* Sic pro domo sua ad pontif. *Equidem perfunctus sum, nullam vim, nullum impetum metuo.* Sic apud LIVIUM P. Cornelius Scipio, *Sic senem se perfunctum, & me infra aetatem filii sui posuit;* de Qu. Fabio loquens.

## ACT. I. SCENA I.

PHAEDRIA *adolescens.* PARMENO *servus.**Senarii.*

QVID igitur faciam? non eam, ne nunc quidem  
 Cum arcerfor ultro? an potius ita me conparem,  
 Non perpeti meretricum contumelias?  
 Exclusit: revocat. redeam? non, si me obsecret.  
 P. Siquidem hercle possis, nil priu', neque fortius. 5  
 Verum si incipies, neque pertendes naviter.  
 Atque ubi pati non poteris, cum nemo expetet,  
 Infecta pace, ultro ad eam venies, indicans  
 Te amare, & ferre non posse: actum est: illicet  
 Peristi. eludet, ubi te victum senserit. 10  
 PH. Proin tu, dum est tempus, etiam, atque etiam, cogita.  
 P. Here, quae res in se neque consilium, neque modum  
 Habet ullum, eam consilio regere non potes.  
 In amore haec omnia insunt vitia, iniuriae,  
 Suspectiones, inimicitiae, induciae, 15  
 Bellum, pax rursus. incerta haec si tu postules  
 Ratione certa facere, nihilo plus agas,  
 Quam si des operam, ut cum ratione insanias.  
 Et quod nunc tute tecum iratus cogitas,  
 Egone illam, quae illum? quae me? quae non? sine modo: 20  
 Mori me malim. sentiet qui vir siem.  
 Haec verba me hercule una falsa lacrumula,  
 Quam oculos terendo misere, vix vi expresserit,  
 Restinguet: & te ultro accusabis, & ei dabis  
 Ultro supplicium. PH. ὁ facinu' indignum, nunc ego & 25  
 Illam scelestam esse, & me miserum sentio:  
 Et taedet, & amore ardeo: & prudens, sciens,  
 Vivus, vidensque pereo. nec quid agam, scio.  
 P. Quid agas? nisi ut te redimas captum quam queas  
 Minimo. si nequeas paululo, at quanti queas. 30  
 Et ne te afflictes. PH. Itane suades? P. si sapis,  
 Neque praeterquam quas ipse amor molestias  
 Habet, addas: & eas quas habet, recte feras.  
 Sed ipsa egreditur nostri fundi calamitas.  
 Nam quod nos capere oportet, haec intercipit. 35

*Exclusit.)* Excludere proprie est eiectionem prohibere ingressu. CICERO ad Terentiam. *Eiicere nos magnum fuit, excludere facile est.* Galli dicunt, *fermer debors.*

*Pertendes.)* In eandem significationem dicitur a TERENT. *Heautont. Act. v. sc. v. Video non licere ut coeperam hoc pertendere,* sumpta metaphora a sagittariis, quum arcus quoad potuit, adegere. Unde *intendere* pro *inchoare* dixit TERENT. in *Andriae act. iv. sce. iv.*

*Falsa.)* Dolis conficta. In *Andria. Lacrymae confictae dolis.*

*Intercipit) Praeripit.*

ACT. 35



## ACT. I. SCENA II.

THAIS *meretrix*. PHAEDRIA. PARMENO.*Senarii.*

MISERAM me, vereor ne illud gravius Phaedria  
Tulerit: neve aliorum, atque ego feci, acceperit,  
Quod heri intromissus non est. PH. totus Parmeno  
Tremo horreoque, postquam aspexi hanc. P. bono animo es.  
Accede ad ignem hunc, iam calesces plus fatis.

T. Quis hic loquitur? hem, tu hic eras mi Phaedria?  
Qui hic stabas? cur non recta introibas? P. Caeterum,  
De exclusione verbum nullum. T. quid taces?

PH. Sane quia vero hae mihi patent semper fores.  
Aut quia sum apud te primus. T. missa istaec face.

PH. Quid missa? ô Thais, Thais utinam esset mihi  
Pars aequa amoris tecum, ac pariter fieret, ut  
Aut hoc tibi doleret itidem, ut dolet mihi, aut  
Ego istuc abs te factum nihili penderem.

T. Ne crucia te obsecro anime mi, Phaedria.  
Non pol quo quenquam plus amem, aut plus diligam,  
Eo feci. sed ita erat res, faciendum fuit.

P. Credo, ut fit, misera prae amore exclusit hunc foras.

T. Siccine agis Parmeno? age. sed huc qua gratia  
Te arceri iussi, ausculta. PH. fiat. T. dic mihi

Hoc primum, potin' est hic tacere? P. egone? optume.  
Verum heus tu, lege hac tibi meam adstringo fidem:

Quae vera audivi, taceo, & contineo optume:  
Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo palam est.  
Plenus rimarum sum: hac, atque illac perfluo.

Proin taceri si vis vera dicito.

T. Samia mihi mater fuit. ea habitabat Rhodi.

P. Potest taceri hoc. T. ibi tum matri parvolam  
Puellam dono quidam mercator dedit,  
Ex Attica hinc abreptam. P. civemne? T. arbitror.

Certum non scimus. matris nomen & patris  
Dicebat ipsa. patriam, & signa caetera  
Neque scibat, neque per aetatem etiam potuerat.

Mercator hoc addebat, e praedonibus,  
Vnde emerat, se audisse abreptam e Sunio.

Mater ubi accepit, coepit studiose omnia  
Docere, educere, ita uti si esset filia.

Sororem plerique esse credebant meam.  
Ego cum illo, quo cum uno rem habebam tum hospite,  
Abii huc. qui mihi reliquit haec, quae habeo, omnia.

P. Vtrunque hoc falsum est. effluet. T. qui istuc? P. quia  
Neque tu uno eras contenta, neque solus dedit.

Nam hic quoque bonam, magnamque partem ad te attulit.

T. Ita est. sed sine me pervenire quo volo.  
Interea miles, qui me amare occooperat,

In Cariam est profectus. te interea loci  
Cognovi. tute scis, post illa quam intumum  
Habeam te. & mea consilia ut tibi credam omnia.

PH. Ne hoc Parmeno tacebit quidem. P. oh, dubium ne id est?

T. Hoc agite amabo. mater mea illic mortua est.  
Nuper meus frater aliquantum ad rem est avidior.

Is hanc ubi forma videt honesta virginem,  
Et fidibus scire, pretium sperans, illico

Producit. vendit. forte fortuna adfuit

C c c c c c c c z

Hic

*Interea loci.) Interea.*